SVMMA DOCTRINAE DE PRAEDESTINATIONE,

REVERENDI P. D. AMBROSII CATHARINI
Epiſcopi Minorienſis, ad ſacræ Theologiæ profeſſores.

ADIICITVR ET LVCVBRATIO
De Veritate Enunciationum.
Summa Item doctrinæ eiuſdem Autoris
de Peccato originali.
Adiicitur & Dialogus de Iuſtificatione.

Cum Gratia & Priuilegio.



A

BIBLIOTECA VITTORIO EMANUELE IN ROMA

Romæ Apud Vincentium Valgriſium.
M. D. L.

A Bea

SVMMA DOCTRINAE DE PRAEDESTINATIONE R. P. F. AMBROSII CATHARINI POLITI EPISCOPI MINORIENSIS AD SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORES,

Præfatio.

ANTEQVAM Quod propoſui tractandum aggrediar, iis mihi primum occurrendum eſſe perſpicio, qui hac de re, id eſt, de Prædeſtinatione nolint vllum haberi ſermonem, eò quod inextricabiles inde quæſtiones emergant, quarum detectio ſcandalum potius in animis infirmorum pariat, & afflictionem ſpiritus, quàm ædificationem. Nam quum eas doctor gentium tantus Apoſtolus moueret quaſi neſcientem reſoluere, ad abyſſum iudiciorum Dei prouocaſſe exiſtimant. Quæ exiſtimatio, pręter id quod Beatisſimi Auguſtini ſententię aduerſatur; (pace illorum dixerim) etiam non ex ſcientia ſcripturarum, & diligenti earum [illegible] De bono p
ſa perſuaſione conſtita eſt. Scriptum eſt.n. Declaratio ſermonum tuo-
rum illuminat, & intellectum dat paruulis. Et iterum: Pax multa dili-
gentibus legē tuam, & nòn eſt illis ſcandalum. Nam vt ad rem propius accedamus, quid eſt, quæſo, illud quod iſti inexplicabile arbitrantur? Nunquid quid ea voce PRÆDESTINATIO ſignificetur? Fruſtra igitur eſſet locutus Apòſtolus, ſi ponens eſſe prædeſtinationem, & de eâ tractans, neſciuiſſet quid diceret. Dicet quis: Non hoc eſſe inexplicabile
vtrum ſit prædeſtinatio, aut quid ea voce ſignificetur: ſed quomodo po-
ſita prædeſtinatione, ſaluum maneat liberum hominis arbitrium, hoc eſ-
ſe inexplicabile. Falſo igitur. B. Auguſtinus tam conſtanter putauit
ſe hoc explicaſſe: ſicut & vere explicauit: oſtendēs prædeſtinationis prę-
dicatione, ne dum non auferri liberi facultatem arbitrii; verum etiam
ſtatui, ac firmari: quod & nos alio libello noſtro declarauimus, & nunc
hac noua tractatione plane me monſtraſſe non dubito.

Sed vt citius manus conſeramus, illud vere eſt inexplicabile, quod quidam quaſi certum atq; compertum ex Apoſtoli doctrina falſo con-
ſtituunt, videlicet, quòd ea ſit prædeſtinationis conditio & vis; vt ſicut nullus eorum qui in numero & ſorte prædeſtinatorum inueniuntur pe-
rire poteſt, & à ſalute excidere; ita nemo eorum qui in eò numero non computantur, poteſt euadere quin pereat, eo quod in maſſa perditionis ſit derelictus, & non ordinatus ad vitam, ſed iam pœnis deſignatus ęter-
nis, cum Lucifero & angelis eius.

Quòd vero hæc tam dura, diraq; opinio, quam mordicus hæretici nunc tenent, manifeſtam prę ſe ferat (quod horreo vel cogitare) dei iniquitatem, quòd & acceptionem perſonarum apud illum cõſtituat, quòd efficacię ſanguinis CHRISTI deroget, & gratiam ſancti Spiritus perangustet, quòd ſenſui Eccleſię, quem aſſidua praxis oſtentat, manifeſtè repugnet; denique quòd multis, & validisſimis rationibus, & ſcripturarum ſententiis aduerſetur, & ſcandalum in populis generet quam maximum; & ſi alio libro ſatis me arbitrer oſtendiſſe; hac tamen noua lucubratione, huius rei gratia mihi aſſumpta, identidem demonſtraſſe, non ambigo. Hæc.n. prædicatio, iam factam à Deo ſegregationem bonorum & malorum, & ſalutem noſtram non ex euentu operum cuiuſquam pendere affirmat, ſiquidem iam determinati ſint in Dei prouidentia omnes, qui tandem perſeueraturi ſint in bono. Ex hac autem perſuaſione, qui, rogo, proueniant fructus, niſi vel magna præſumptio, & in operãdo ſocordia; vel horribilis deſperatio? Sed hęc in tractatu ipſo fuſius.

Cum igitur ſic ſe res habeat, ſi nunc nos aliam de prædeſtinatione doctrinam afferimus, quæ conueniat cum ſcripturis, & cum ipſa Eccleſię praxi, & Chriſti gratiã ac beneficium amplificet: cui etiam vndiq; collectæ rationes aſtipulentur, & non modo ſcandalum non afferat, ſed quietem potius & pacationem cordis: non video quo pacto mutire valeant, qui mihi os occludere conniтuntur, aientes hac de re nullo pacto eſſe tractandum. Quòd ſi quis mihi de me dicenti non credit; & me non veri ſimilia loqui obiiciat: in promptu habet libellum hunc ipſum, vt ibi inſpiciat, & inde eliciat veritatem. Ineptum eſt.n. vbi facile verum deprehendi queat, ex veroſimili coniectare. Legat ergo quæ ſcripſi, & legat ſicut ego ſcripſi, animo candido nec male affecto, præſertim cùm multum chriſtianæ animæ interſit, hanc ſcire veritatem, & eſſe pacatam: & pręcipuè hoc tempore, quãdo paſſim falſa, hac parte, & pernitioſa doctrina ſeritur. Nec ab re loquor tam confidenter. Scio.n. quanto tempore in hac meditatione verſatus ſum: & gaudeo nonnullis & doctis & magnis viris, & præclaris concionatoribus, quibuſcum ſæpenumerò contuli, doctrinam hanc magno conſenſu eſſe probatam, vt quæ facilè pacatos reddat animos pietatem colentium & veritatem: ita vt etiam quidam eorum qui eam non recipiunt; attamen magis piam eſſe fateantur: quaſi verò nõ magnopere conueniat pietati cũ veritate. Certe inſignes doctores in Vrbe Parrhiſiorum, antequam ibi prior ille meus libellus æderetur, vbi hæc eadem latius doctrina tractatur, cùm de more ſua trutina examinaſſent; facile tanq̃ probatum, dimiſerunt euulgandum. Quę, quanq̃ ita ſint, non tamen adhuc effugio cenſuram: imò ob hanc gratiam ad ſacrę Theologiæ profeſſores, & Chriſtiani Orbis catholicos Magiſtros hanc noſtram nouam lucubrationem direxi. Quoniam verò eorum qui legent, arbitror fore multos qui valeant iudicare: nonnullos fortè qui poſſint & diſcere; omnes rogo, vt abſq; odio hominis, honorem tribuant veritati. Hoc.n. cùm homo homini debeat, multo

mihi profecto magis Chriſtianus Chriſtiano,& illi Chriſtiano,qui ab initio ſtudiorum ſuorum ita ſe ſemper geſſit;& verbis & ſcriptis in cunctos hereticos adeo ſe catholicum exhibuit,vt quiſquis hac parte illum velit traducere;ſe ipſum vel inuidum,vel alioquin malignũ ſit proditurus.

SVMMA DOCTRINÆ DE PRÆDESTINATIONE. LIB. I.

Quid prædeſtinationis voce ſignificetur.

PRIMVM, Quia ſæpenumero in acceptione vocum,quòd vel male,vel varie accipiantur,magna oritur in diſputatione perturbatio, atq; inextricabiles emergunt errores;quid hac voce;Prædeſtinatio ; quæ eſt huius diſputationis ſubiectum, ſignificetur ; eſt præmittendum.

Quia vero de prædeſtinatione Dei eſt ſermo;hac voce intelligimus quoddam propoſitum ac beneplacitum Dei erga quoſdam ex hominibus,quo beneplacito determinauit eos erigere,ac dirigere in æternã ſalutẽ. B.Paulus dixit,vt ſint conformes imaginis filii ſui.Nam & ipſe CHRISTVS prædeſtinatus fuit ea parte, qua homo [illegible] Rom.
eſſet filius Dei in virtute : hoc eſt : non in infirmitate,ſicut apparuit primùm,ſed in virtute,id eſt,in fortitudine, ac decore, qui illum decebat, qui natura Deus erat:ad quam conditionem venit per viam crucis. In hac autem conformitate ad illum,quantum fas eſt, conſiſtit beatitudo noſtra,& æterna vita. Et hanc primùm reſpicit ipſa Dei prędeſtinatio.

Quoniam verò beatitudo hæc ſumma, ad quam ordinantur homines à Deo,proponitur illis vt præmium & corona,quæ non niſi legitimè certantibus redditur,ſicut ſcriptum eſt:Non coronabitur niſi qui legitime certauerit:conſequens eſt,vt omnes qui prędeſtinatione deſtinati ſunt ad acquiſitionem coronæ : etiam deſtinati ſint ac diſpoſiti ad certamen:quoniam Dominus ait:Vincenti dabo manna abſconditum. Sicut qui deſtinatur ad brauium,conſequenter deſtinatur ad curſum.
1.Cor.9.
2.Timo.2.
Apoc.2.

Quo fit,vt in prædeſtinatione,quæ reſpicit finem,videlicet,ipſam vitam ęternam;cuncta comprehendantur,ſine quibus ad illum finem perueniri non poſſet,ſecundum decreta Dei.Hæc autem ſunt diſpoſitiones, & certamen ad conſequendum illud per dona, & auxilia gratiæ ſuæ, ſine quibus nec certari legitime, nec obtineri corona poſſet. Hoc autem totum ſic diſpoſitum eſt ad exemplum Domini IESV, ſicut ipſe dixit: Ego diſpono vobis regnũ,ſicut diſpoſuit mihi Pater meus.Et alibi hoc declarans,ait:Qui vicerit,dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici,& conſedi cum Patre meo in throno eius. Propter quod doctè ac mirifice loquutus Apoſtolus, dixit, quòd quos prædeſtinauit, ad hoc
Luc.22.
Apoc.3.

prędeſtinauit, vt eſſent cōformes imaginis filii Dei. Conformitas aūt hęc, non ſolum intelligenda eſt reſpectu finis, quæ eſt gloria & gaudium cœleſte; (nam hoc principaliter) verum etiam reſpectu ignominiæ, & paſſionum in tolerantia; per quas illa gloria comparatur. Vnde idem Apoſtolus dixit: Si ſuſtinebimus; & conregnabimus. Deus.n. quos prædeſtinat ad ſalutem; non purè, ſed ſub conditione bonorum operum prædeſtinat, videlicet, vt ſalutem per bona opera conſequantur: quæ ſine gratia, & auxilio Dei operari non poſſumus. Vnde ipſemet Apoſtolus: Ipſius, inquit, factura ſumus, creati in operibus bonis, quæ præparauit Deus, vt in illis ambulemus.

Vtrum prædeſtinatio certum importet ſalutis effectum.

VERVM hic oritur quæſtio, Vtrum hæc prædeſtinatio Dei ſit certa, hoc eſt, includat Dei certā deliberationem volentis omnino prædeſtinatos conſequi ſalutem. Profecto communis ſententia tractatorum id affirmat. Quod & ab ipſa vi vocis primum accipitur. ſignificat enim prædeſtinatio quandam Dei prædeterminationem, qua vult hominem ad vitam adducere. Quæ igitur potētia fiet, quin hæc Dei deliberatio conſequatur effectum? Vnde ipſe B. Paulus de iis ait. Certus ſum quòd neq; mors, neq; vita: & quæ ſequuntur. Et paulò ante: Omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Hi.n. ſunt prædeſtinati. Patet igitur medium concludens: Hi quibus omnia cooperantur in bonum, perire non poſſunt. Hi autem ſunt prædeſtinati: Ergo &c. Ad hæc idem prædeſtinatorum conditionem ponens, ait, quòd vocantur, quòd iuſtificantur, quòd magnificantur. Quicunq; autem tales ſunt, impoſſibile eſt perire: vnde illorum vocatio dicitur ſancta, dicitur ſecundum propoſitum Dei. Cum igitur terminet Apoſtolus quoſdam qui ſic vocantur vocatione ſancta, id eſt, firma, & ſecundum propoſitum vt iuſtificentur, & qui iuſtificantur, etiam magnificētur: relinquitur alia vocatio ad quam poſſit non ſequi iuſtificatio: & itē alia iuſtificatio, ad quam non neceſſario ſequitur magnificatio: & hæc eſt ſors non prædeſtinatorum.

Ad hæc, Idem Apoſtolus, quia fœliciſſimam hanc prædeſtinatorum conditionem videbat, & ſe inter illos eſſe, ſignis magnis, atq; euidentibus, conſpiciebat; (Nam de illo dictum eſt: Vas electionis eſt mihi iſte.) Idem, inquam, Apoſtolus Spiritu ſancto exultans, & rem certam confiderans, aduerſus quam nulla ſit potentia, poſt ea quæ diximus, adiecit: Quid ergo dicemus ad hæc? Si Deus pro nobis, quis contra nos? Ac ſi manifeſtius dixerit: Hoc poſito quòd Deus ita velit nobis adeſſe, & iu-

ſtificator noſter eſſe, & protector vſq; in finem; quis notis poterit aduerſari? Sicut præſcriptum erat: Stemus ſimul, quis eſt aduerſarius meus? Quis.n. Deo poterit dicere: Cur ita facis? vt ipſum prohibeat ab hoc tanto dono? Et ne quis poſſet dubitare quòd talis ſit Deus, id eſt, ſic erga nonnullos munificus, addidit mirifice tantæ gratiæ iuſtum mediatorem & effectorem. Dixit.n. Qui proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, id eſt, non pro prædeſtinatis tantum, ſed pro omnibus: primo tamen pro illis. Vnde Dominus de ſuo ſanguine ait: Qui pro vobis, & pro multis effundetur: ſignificās in diſcipulis prædeſtinatos, aiens pro vobis. Non.n. erat ibi Iudas: aut ſi erat, non pertinebat ad eum ſermo ille: Vnde & ait: Non de omnibus vobis loquor: ego ſcio quos elegerim. Et quod ait: pro multis, ad reliquam refertur multitudinem non numeratam, aut ſignatam: ſicut & dilectus dixit: Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris: & non ſolum pro noſtris, ſed & pro totius mundi. Quod.n. adiectum eſt: Non ſolum pro noſtris, ſed & pro totius mundi, manifeſtè ſignificat, quòd prius dicendo pro nr̄is, de iis intelligebat, qui electi erant, & quaſi extracti de mundo, vt nō cū mundo commemorarentur. Et hi ſunt prædeſtinati, & ſignati. Vnde & idem de quibuſdam aliis dixit: Ex nobis prodierunt, hoc eſt, per noſtram doctrinam receperunt Euangelium, & venerunt in lucem profeſsi CHRISTVM, ſed non erant ex nobis, id eſt, ſignati; & in numerum electorum computati: quod à ſigno certiſsimo patere oſtendit, aiens: Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent vtiq; nobiſcum. Ex quo loco manifeſtiſſime euincitur hic certus prædeſtinationis effectus, qui eſt perſeuerantia à qua non fit caſus ille. Alibi Dilectus dixit quòd CHRISTVS erat moriturus pro gente; id eſt pro turba: & non ſolum hoc, verum etiam vt filios Dei congregaret in vnum: ſcilicet, inſignes filios, id eſt, prædeſtinatos, qui gratis in præſcientia Dei, propter prædeſtinationem ſignati ſunt. Vnde & Apoſtolus doctor noſter proſequitur aiens: Quomodo non etiam cum illo nobis omnia donauit? Quid eſt omnia? niſi quoduis cogitabile, decens tamen, donum?

Et hæc eſt alia ratio, & magna quidem ſenſum habentibus, & procernire nolentibus, nempe hæc: Datus eſt CHRISTVS Eccleſiæ, & datus eſt ad mortem, ne ipſa Eccleſia ſponſa ſua pereat, aut vt quæ perierat, excitetur. Ergo ipſi eccleſiæ multo magis data ſunt omnia dona cum ipſo CHRISTO. Hoc eſt autem illud eximium donum, videlicet peculiaris ſpiritus ſanctitatis, à quo non fit caſus. Siquidem longe credibilius eſt quòd donet ea, quæ non auferunt ei quicquam, quàm quòd vitam ſuam effundat, ne alii pereant. Hoc tamen fecit Dominus; igitur & illud. Hoc eſt igitur Apoſtoli argumentum: Omnia dona excogitabilia donata eſſe ſponſę à ſponſo credibile eſt? Ergo etiam donum hoc perſeuerantiæ certum, donatum fuit Eccleſię, ſaltem certis & electis. Quanquam etiam dici poteſt, quòd donatū ſit omnibus: quoniam ad omnium amicorum profectum cedit: quia & per illos alii ſal-

uantur. Propter communicationem.n.ſanctorum, quod vni ex membris, aut pluribus datur; etiam omnibus datum videtur: quoniam omnes vnum corpus facimus, ſi modo in corpore maneamus. Et reuera ſi gradus iſte ſanctorum & electorum ſecundum huiuſmodi egregiam; & ſublimem electionem non daretur ex dei prouidentia in ſua Eccleſia; profecto eſſet aliquid in vniuerſitate, & corpore ſpirituali defectiuum; ac deſiderabile: quod & aliis inſuper oſtendetur exemplis.

Ad hæc idem ipſe Doctor, & huius electionis meritò prædicator; quoniam vas erat electionis; volens omnia remouere quæ contra hoc donum ingens opponi poterat, ſubdidit: Quis accuſabit aduerſus electos dei? Deus eſt qui iuſtificat. Ac ſi clarius diceret: Erit aliquis accuſator qui arguet eos, vel tanquam communis criminis participes, quòd omnes peccauerunt in Adã: vel tanq̃ propriorum peccatorum reos, quæ ipſi fortè poſteà ſua voluntate admiſerint? Sed reſpondebitur accuſatori, quòd Deus eſt pro his electis, iuſtificans eos per ſuam iuſtitiam, qua & peccata tolluntur, & gratia prima reſtituitur propter merita CHRISTI. Et adiecit: Quis eſt qui condemnet? Ac ſi dixerit, Poſita illorum iuſtificatione, & dato accuſatore, quis erit iudex qui condemnet eos? Certè omne iudicium datum eſt IESV CHRISTO. CHRISTVS ergo condemnabit eos, qui mortuus eſt, videlicet pro illis ad redimendum eos à peccatis: Imo qui & reſurrexit propter iuſtificationem eorum, vt redderet eos nouæ vitæ ad ſeruiendum deo viuenti: qui eſt ad dexteram dei, vt poſſit quæcunq; vult, quia obtinuit omnia, qui & interpellat aſſidue pro illis apud Patrẽ, ſi quid ab eis delinquitur? Vide quanta in fauorem prædeſtinatorum prædicauit Apoſtolus, quæ in alios ſecundæ claſſis competere non poſſe, perſpicuum eſt: vt probetur quòd tandem nullus iſtorum excidat. Vnde concludit: Quis ergo nos ſeparabit à charitate CHRISTI? Tribulatio? an anguſtia, an fames, an nuditas, an perſecutio, an gladius? Sicut ſcriptum eſt: Propter te mortificamur tota die, æſtimati ſumus veluti oues occiſionis. Sed in omnibus ſuperamus propter eum qui dilexit nos. &c. Ecce quàm apertè docet certum paucorum numerum, quibus aptantur illa verba: Propter te mortificamur tota die &c. Et oſtendit ſtare ab eorum parte victoriam, qui ſunt electi ac prædeſtinati, vt nulla vi valeant a Domino IESV CHRISTO ſeiungi: quia propter illum patiuntur. Quare perpende concluſionem. Certus ſum, inquit Apoſtolus, quod neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; inſtãtia, neq; futura, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos ſeparare a charitate dei, quæ eſt in CHRISTO IESV Domino noſtro. Hæc ex B. Paulo: quibus neſcio an quid poſſet addi ad explicandum prædeſtinationis certiſſimos effectus ad ſalutem, venientes ab ipſa dei certiſſima gratia, & protectione ſuper capita illorum, qui in hanc ſortem electi ſunt. Iſti ſunt illæ oues propriæ, hoc eſt, oues peculiares, quas Dominus ait ſe vocare nominatim, & educere

illas,

illas,& ante illas ire,& illas ſequi ſe præeuntem, quia cognoſcit eas,& »
ipſę cognoſcunt eum,& vocem eius audiunt. Alienum autem non ſe- »
quuntur,ſed fugiunt ab eo,quia non nouerunt vocem alienorum. Et »
nemo,inquit,poteſt eas rapere de manu mea. Hæc ibi Dominus de oui- »
bus ſuis propriis,hoc eſt,peculiariter electis,atq; dilectis. Alioqui de oui- «
bus quæ in communi ſorte maneant,ipſe idem Dominus paulo ante te-
ſtatus erat,quòd venit Lupus,& ex illis rapit,& mactat,& perdit. At de
illis peculiaribus ait quod nemo rapit de manibus eius. Notet quæſo
diligenter hęc lector,& non proteruiat:præſertim quòd hanc effectuum
prædeſtinationis certitudinem, B. Auguſtinus,& Thomas noſter,& ferè
omnis ſchola,magno conſenſu comprobarunt:vt ire obuiam tanto tor
renti,minimè tutum ſit.

Inueſtigatio quo pacto cum prædeſtinatione ſalua maneat liberi facultas arbitrij.

STante igitur hac certitudine in prędeſtinatione,illa ſuboritur quęſtio, Quonam pacto cum hac certitudine maneat liberum hominis arbitrium. Si enim adeptio gloriæ certa fuerit,oportet conſtituere etiam adeptionem gratię certam, & bonum illius vſum certum: quia ſine his,adeptio gloriæ non daretur. Hoc autem videtur aduerſari libertati arbitrii. Quamobrem fuerunt qui hanc quæſtionem putauerunt irreſolubilem:& hic exclamauerunt; O altitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, &c. Contra quos illud meritò obiici poteſt, non eſſe modeſtię id protinus irreſolubile iudicare,quod ipſe neſcias reſoluere. Nam Philoſophi modeſtius de circuli quadratura loquuti;eſſe quidem ſcibile,licet nondum ſcitum, dixere. Alii ergo vt Lutherus ſuſtulerunt liberum arbitrium,& Deum operari in nobis omnia & bona, & mala, blaſphemauit. Sed hic non eſt dignus contra quem diſputetur; quando vel ipſemet aliis locis aliter de liberoq; arbitrio doceat, ab ipſa veritate coactus. ×

Manet igitur explicanda difficultas,quo pacto cum prędeſtinatione ſalua ſit liberi facultas arbitrii. Fuerunt ergo qui hoc pacto putarunt eam ſe explicaſſe dicentes quòd certitudo ſalutis in prædeſtinatis venit à præſcientia diuina. Dico præſcientiam meritorum & bonorum operum:non autem à prædeſtinatione ſoluta ab ea præſcientia. Sic.n.rem ſecum deputarunt. Deum,qui vuult omnes homines ſaluos fieri, & illis gratiam,& alia remedia ad ſalutem prouidere;videreq; primum eos qui gratiam ſuo libero arbitrio acceptaturi ſunt, & bene illa vſuri. Et hos propterea prædeſtinaſſe immobiliter:hoc eſt,voluiſſe illis omnino ſalutem,vt iam non queant excidere. Reliquosq; verò quos ſimiliter volebat ſaluos,& pręparauerat illis remedia;quia præuidit,ſua libertate arbitrii

non accepturos,aut non bene vſuros;reprobauit : ita vt ratio & cauſa prędeſtinationis conſtituatur præſcientia bonorum operum, ac meritorum; ſicut ratio reprobationis conſtituitur præſcientia malorum operum:& ſic dixerunt defendi liberum arbitrium. Pro hac autem opi-
» nione videtur facere Apoſtolus cùm dixit : Quos præſciuit;& prædeſti-
» nauit &c. Vt hic videas præſcientiam præcedere prædeſtinationé,quaſi eius rationem,& cauſam . Hoc videtur & B. Auguſtinus ſenſiſſe , quum ait quòd prædeſtinatio eſt præſcientia & pręparatio beneficiorum Dei.

Quòd certitudo ſalutis in prædeſtinatione non veniat à præſcientia bonorum operum.

AT quòd hic dicendi modus,qui fuit Pelagii,aduerſetur ſcripturis ſanctis,& validis rationibus; B. ipſe Auguſtinus multis in locis clare oſtendit . Et quoniam etiam nunc non deſunt falſæ illius doctrinæ ſectatores;id palam etiam à nobis oſtendédum eſt .

Primum igitur hæc opinio repugnat Apoſtolo, qui ad Romanos, tanq̃ ſi præuidiſſet abſurdam horum cogitationem; opponens typum electorum Iacob;dixit:Antequam quicquam boni aut mali feciſſent,di-
» ctum eſt:Iacob dilexi,Eſau autem odio habui . Hic certè locus,niſi violetur,manifeſte oſtendit,quòd electio,quæ ſignificatur in Iacob, nó con-
« tingit propter opera , aut quia vlla operum ratio conſiderata ſit apud Deum,ſed ex mero Dei dono . Alioqui ad quid dixiſſet B. Paulus: Antequam quicq̃ boni aut mali egiſſent , niſi voluiſſet omnino excludere non ſolum meritum,ſed etiam omnem reſpectum operum ab ipſa electione,& vocatione ? Quod & manifeſtius etiam declarans & exprimens id quod dixerat:Antequã quicq̃ boni aut mali egiſſent;confeſtim ſubiecit:Vt ſecundum electionem propoſitum Dei maneret, nó ex operibus,
» ſed ex vocante,dictum eſt,quia maior ſeruiet minori,ſicut ſcriptum eſt:
» Iacob dilexi,Eſau autem odio habui . Quid his poterat apertius dici?
» Nam,vt pulchre ratiocinatur D . Auguſtinus,ne parentum meritis hæc diſcretio tribueretur;narratur quòd erant duo in vtero vno,ex vno cócubitu,ex vno patre , ex vna matre : qui nihil boni penitus , nihil item mali egerát:vnus eligitur,alter dimittitur:& qui dimittitur (addam hoc ego) maior erat . Hæc ait Apoſtolum induxiſſe, vt cognoſceremus nihil poſſe cauſæ,aut rationis confingi ex vllis quibuſcunq; propriis illorum puerorum geſtis aut meritis,vnde vnus deberet eligi,& alius dimitti . Nam ſi quid erat cóſiderabile ad electionem,pro Eſau erat potius, qui maior erat,quàm pro Iacob:& nihilominus ipſe Iacob electus fuit. Sed vt videremus quòd Dominus Deus pro ſuo beneplacito facit electionem & eligibiles pro voluntate;cuncta illa commemorata ſunt ad laudem & gloriam gratiæ ſuæ .

Ad hæc,vt idipſum oſtenderet idem Apoſtolus, videlicet quòd non præſcientia operum quicquam faceret ad huiuſmodi primã electionẽ; ac prędeſtinationẽ,dixit venire prædeſtinationẽ ſorte:hęc ſunt eius verba: In quo(nimirum chriſto) & nos ſorte vocati ſumus,prędeſtinati ſecundum propoſitum eius &c. Quid eſt autem vocari ſorte,aut aſciri in ſortem,niſi,(vt B. Auguſtinus eleganter notat) abſq; vllo reſpectu vel dignitatis,vel meritorum?quia (inquit) in ſorte non eſt electio à dignitate,& merita non conſiderantur. Et adiecit pulchram figuram,dicens: Merito tunica illa Domini deſuper contexta per totum, quæ ſignificat charitatis æternitatem,quum diuidi à perſecutoribus non poſſet; ſors ſuper eam miſſa eſt. Ad quos peruenit,eos ſignificauit,qui videntur ad ſortem pertinere ſanctorum. » »

Notat & eleganter idẽ B.Auguſtinus,quod ad Epheſios ſcribit Apoſtolus:Qui elegit nos ante mundi conſtitutionẽ vt eſſemus ſancti, & immaculati. Notat inquam,quod ait:Elegit nos vt eſſemus ſancti: Et non quia eramus ſancti,aut quia nos fore tales præuiderat, ſed vt eſſemus: vt electio intelligeretur cauſa ſanctitatis,non è cõuerſo ſanctitas cauſa electionis. » »

Nec ibi puto Apoſtolum de communi quadam ſanctitate ſentire,ſecundum quam omnes renati in CHRISTO dici poſſunt ſancti: ſed de peculiari & excellenti ſanctitate,ſicut ſcripturæ ſępe accipiunt, & vulgus accipit,& communiter Eccleſia,quæ ſanctos celebrat, & non quoſlibet chriſtianos,ſed peculiares Dei amicos. De his.n. videtur Apoſtolus loqui,quando ait:Sancti per fidem vicerũt regna, operati ſunt iuſtitiam &c. Et B.Auguſtinus à bono ſpiritu impulſus inſcripſit librũ,hoc titulo:De prædeſtinatione ſanctorum. » »

Ad hanc ergo ſanctitatem nonnulli ſunt qui per electionem perueniunt, & non quamlibet,ſed quæ eſt ante mundi conſtitutionem: hoc eſt,iuxta meum ſenſum, antequam Deus prouideat, & iaciat fundamenta ſalutis pro ipſo mundo,hoc eſt,pro illis qui veniunt mundi appellatione,qui non inueniuntur in numero horum ſelectorum ac prædeſtinatorum,qui pauci ſunt.Iſti ergo in hunc numerum aſciti,priores ſunt in prouidentia Dei. Non.n.intelligenda ſunt hæc ſecundum conſiderationem temporis:quoniam Deus non in tempore operatur,ſed in ęternitate,quæ eſt NVNC PERMANENS. Et tamen res quæ ſubiacent ordinationi Dei quæ æterna eſt,æternę non ſunt, ſed inter ſe ordinem habent,ſicut Deus diſpoſuit,vt vna ſit prior alia, vel tempore, vel dignitate aut natura,ſicut ipſi Deo placuerit:& vna ad aliã ordinetur, 1.Cor.3. & propter aliam ſit:omnia autẽ propter CHRISTVM: CHRISTVS autem propter Deum.

Igitur electi ac prædeſtinati,qui quaſi ex mundo eliguntur ac extrahuntur,inueniuntur ſecundum electionem Dei priores ipſa mundi conſtitutione:hoc eſt,illi prius conſtituti ſunt & ordinati ad vitam, quàm qui inferioris ſunt ordinis mundani. Vnde Dominus ait:Elegi vos de

» mundo. Et hi ſunt qui ſpiritum quendam accipiunt, quem mundus
» non poteſt accipere, id eſt, etiam illi qui communem habent gratiam, &
» in ea ſunt contenti. De illo enim ſpiritu manifeſte dixit Dominus, quã
» do ait: Si diligitis me, mandata mea ſeruate; & ego rogabo patrem, &
» alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiſcum in æternũ, ſpiritum
» veritatis, quem mundus non poteſt accipere. Dixit ergo ibi Dominus,
quòd alium paracletũ erat miſſurus pater ad eos. Et certe illi non erant
vel tunc ſine ſpiritu ſancto, ſed nondum illum habebãt ſpiritum, qui eſt
ſummus electorũ fructus, & non eſt mundi. Vnde & in eo ſermone, ait:
» Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos, vt eatis & fructum afferatis, & fru
» ctus veſter maneat, vt quodcunq; petieritis Patrem in nomine meo, det
» vobis. Hæc & ſimilia loca, B. Auguſtinus ſic accipit, & ſic exponit.
Quin etiam vulgò ſic dicitur de his qui ſe totos Deo dicarunt, quòd
» relinquunt ſæculum, & mundum: nec tamen illos ſolos putamus ſaluari.
» Vnde & de aliis non ab re dicet Dominus: Venite benedicti patris mei,
» percipite regnum paratum vobis à conſtitutione mundi. Non dixit
Ante conſtitutionem mundi, ſicut de illis electis. Quare conſequens eſt
vt in prædeſtinatorum atq; electorum numerum non veniant, niſi valde digne ac ſelectæ perſonæ: & plerunq; etiam aptatæ ad munera grandia, & honorabilia: vt erant prophetæ, Apoſtoli, magni doctores, & alii quos nouit Dominus, qui ſimiles facti ſunt CHRISTO ita in afflictionibus, ſicut & in gloria. Quare non exiſtimo pueros, qui baptizati decedunt, eſſe prædeſtinatos, de quibus non valde propriè dicitur quòd vocentur. At B. Paulus dixit: Quos prædeſtinauit; hos & vocauit. Nam & de illis ſanctis pueris Innocentibus, non poteſt fingi vocatio. Hic adiungeretur etiam quæſtio de Traiano, quem non negat B. Thomas, ſancti Gregorii precibus, eſſe ſaluum. Ille tamen nunq̃ fuit vocatus: aut ſi vocatus, certè vocationi nõ reſpondit, qui etiam perſecutor fuit Chriſtianorum. Non igitur ex prædeſtinatione ſaluus factus eſt, ſi modo ſaluus ſit, vt multi credunt. Hactenus de ſcripturis ſanctis.

Sunt vero & manifeſtiſſimæ rationes, quibus idem euincitur. Et prima quidem eſt, quòd ſi prædeſtinatio ſit ex meritis ſaltem præuiſis in conſpectu Dei; iam gratia daretur ex meritis: ſiquidem, vt communis doctorum ſchola recepit, collatio gratiæ ſit prædeſtinationis effectus. Qui enim prædeſtinat ad gloriam, & gloria ſine gratia obuenire non poteſt; conſequenter prædeſtinat ad gratiam. Si ergo ex meritis eſt gratia; iam gratia non erit gratia: Et ſic incurritur dogma pelagianum damnatum. Ad hæc, ſi prædeſtinatio venit ex meritis; iam non prædeſtinatio, ſed poſtdeſtinatio potius eſſet dicenda.

Ad hæc, ſi ſola præſcientia meritorum facit prædeſtinationem; iam (vt inquit eleganter Sanctus Doctor in. q. de Ver. 3. art. 3.) non differrent prædeſtinati à non prędeſtinatis, ex parte ordinis prouidentię Dei, ſed quilibet eſſet, vi liberi arbitrii, ſuæ prædeſtinationis fabricator, cùm

pari modo eſſent omnes à Deo ordinati ad ſalutem. Nam ſi quis dixerit Deum velle omnino prædeſtinatos ſaluari præ cæteris; oportet vt etiam fateatur ipſum Deum prouidiſſe illis ſublimiora media, quibus præ cæteris obtinere poſſint ſalutem. Qui.n.vult finem, & ea vult ſine quibus perueniri ad illum finem non poteſt. Alioqui ſi volens prædeſtinatos certò præ ceteris ſaluare, non tamẽ eis, ſua prouidentia decernẽs certiora remedia ad ſalutem vt illi ſalui fiant præ cæteris; ex accidenti contingeret eorum ſalus magis quàm aliorum, & non ex Dei prouidentia: quod eſt abſurdiſſimum, vt potè derogans ſapientiæ Dei.

Non me tamen latet eſſe quoſdam nũc, qui ſic componere ſibi rem videntur, vt fugiant pelagianorum inuidiam. Aiunt.n.Deum ex ſua mera beneuolentia velle quidem dare gratiam omnibus, & conſequenter, quod ad ſe attinet, eam cunctis etiam offerre: quoniam vero Deus præuidet ſi offeratur, quòd quidam recepturi eam ſunt, & bene illa vſuri; ideo his demum ſtatuit, & offerre, & conferre gratiam, & vitam ęternam; cæteris autem non ita: & ſic illos prædeſtinauit, non iſtos. Neq; propter hoc, aiunt, ſequi quòd gratia conferatur ex meritis, ſiue ex operibus: quaſi Deus præuidens opera, acceptauerit illa tanq̃ digna gratiæ: ſed accipiuntur vt cauſa ſine qua non. Sicut ſi quis dixerit Regem velle quidem donare arma, & coronam omnibus ſuis militibus ex mera liberalitate: non tamẽ omnibus donat arma, ſed iis quos arbitratur bene vſuros illis. Quod ergo Rex donet arma, & inde coronam; ex liberalitate ſua eſt: ex prudentia vero eſt, quòd nolit aliis dare, niſi illis quos bene vſuros eis ármis exiſtimat. Sic aiunt eſſe in Deo. Munificentia.n.Dei vera eſt cauſa, vt ita dixerim, mouẽs eum ad gratiam conferendam: pręſcientia autem hæc, videlicet de acceptatione & bono eius vſu, poteſt dici cauſa ſine qua non, vt aiunt Logici, ideſt, ſine qua Deus non faceret liberalitatem iſtam. Et hæc eſt doctrina quorundam.

Sed cum omni pace, & bona illorum gratia, dicam, non ſecundum ſcientiam hæc dicuntur: ſed ex phantaſia, quæ ſæpenumero fallitur, & vana eſt. Quod ex multis, & iis quidẽ certisſimis rationibus patere pòt.

Et prima ratio eſt, quod etiam ſecundum hunc dicendi modum, collatio gratiæ non eſt effectus prædeſtinationis, ſed potius cauſa. Non.n. vt volunt, prædeſtinatur quis, niſi præuideatur bene vſurus gratia: ſed hoc ſequitur gratiæ collationem. Non.n.præuideri poteſt à Deo quis, quòd bene ſit vſurus gratia, ſi in poteſtate eius fuerit etiam malè vti, niſi præſupponatur ante Dei conſpectum quòd verè acceperit gratiam, & quòd etiam perſeueranter bene vſus fuerit illa: quoniam futurum contingens non poteſt præuideri à Deo vt futurum: vt doctisſimè declarat Beatus Thomas, ſed videtur vt præſens. Si ergo prædeſtinatio præſupponit diuinã pręuiſionẽ boni vſus gratiæ; & hæc diuina præuiſio boni vſus gratiæ præſupponit vſum illum bonum gratiæ; & vſus ille bonus gratiæ præſupponit collationem gratiæ; manifeſtum relinquitur, quod collatio gratiæ non eſſet effectus prędeſtinationis, ſed è contrario: quod

eſt cõtra iam receptam huius nominis apud omnes acceptionem.

Hoc eſt igitur quod velim profundius intelligi ac mordicus teneri, perplexũ eſſe omnino atq; impoſsibile,quòd collatio gratiæ ſit à præuiſione boni vſus gratiæ,ſi benè vti gratia ſit contingens.Etenim in Dei præſcientia, collatio gratiæ præcedit ipſum eius bonum uſum. Itaq; quod eſt poſterius,impoſſibile eſt vt ſit cauſa vel ratio prioris.

Eſt & ſecunda ratio. Si.n.donatio gratiæ, vt eſt concluſum,eſt effectus prædeſtinationis;etiam ipſa merita,quę ex gratia veniunt,erunt effectus prædeſtinationis.Quòd ſi merita;etiam ſalus ipſa effectus eſſe prędeſtinationis conuincitur:quanq̃ ipſa ſalus, ex meritis veniat. Aliud.n. eſt dicere ſalutem;aliud prædeſtinationem ſalutis venire à meritis.Illud enim prius;verum eſt & catholicum: hoc autem falſum,pelagianum & hæreticum:in quod tamen iſti imprudenter impingunt.

Eſt & tertia ratio contra huiuſmodi commentum. Non.n.niſi falſò,& parum consideratè dici poteſt,quòd Deus iccirco offerat aut conferat gratiam,quia pręuideat; oblatam accepturos, aut iam acceptam, benè vſuros:quoniam certum eſt,multis eum illam obtuliſſe qui recuſarunt:ſicut ſcriptum eſt:Vocaui,& renuiſtis. Et iterum:Tota die expandi manus meas ad populum rebellem,& contradicentem mihi. Deinde certum eſt,multis fuiſſe collatam gratiam qui acceptarunt, & nihilominus poſtmodo exciderunt ab ea.Non ergo bonus vſus gratiæ eſt cauſa collationis eius:Alioquin cur etiam iis conferret,quos pręuideret nõ eſſe illa bene vſuros?

Si dixerint,confert ad illorum malum(ſicut quidam non horreſcũt dicere,qui certè male de Deo ſentiunt,volentes quòd conferat aliis gra tiam vt damnet:cõtra ipſam rei naturam,& bonitatem diuinam.) Non iam eſſet dicenda gratia, ſed odium, & inimicitia. Si vero dixerint confert etiam illis gratiam vt bene illa vtantur;quod ſi non faciunt; ip ſis imputandum eſt:Admittimus.Sed vnde habent quòd nullus horum bene vtatur,& ita in cunctis fruſtretur Deus & eius prouidentia hoc intento fine?

Præterea,nonnullos tolerat Deus patienter per totam ferè illorum vitam,malè vtentes gratia ſua, & donis: & poſtmodo, non obſtantibus omnibus eorum demeritis, & ingratitudine; ſecundum ſuperabundantiam miſericordiæ ſuę,eos ad pœnitentiam penè compellit,vt vbi abũdauit delictum,ibi ſuperabundet & gratia. Et contrà,ſunt qui penè vſq; in finem bene vſi ſunt donis Dei,& tamen in extremis non perſeuerant: quanq̃ raros eſſe huiuſmodi, credibile eſt. Illud certum, quòd nonnullos de medio tollit,ne malitia peruertat eos,ſicut ſcriptum eſt: Raptus eſt,ne malitiam mutaret intelligentiam eius. Et Dominus dixit: Niſi breuiati fuiſſent dies illi, non fieret ſalua omnis caro. Non igitur ſecundum futura opera Deus donat, aut adimit gratiam, vel prædeſtinationem.

Affert & B.Auguſtinus inſtantiam,cui profecto reſponderi non po

teſt. Sunt.n.pueri, quorum alii quidem in gratia, alii vero extra gratiam decedunt. Iſto caſu, quæ præuiſio futurorum operum poteſt fingi, ſiue bonorum, ſiue malorum, vt hanc faciant diſcretionem? Admirabatur.n.vehementer B. Auguſtinus quoſdam pelagianorum hoc dicere, quòd & iſta puerorum diſcretio veniebat ex futuris eorum præuiſis operibus, quæ facturi eſſent ſi viuerent. Aiebat.n.ille glorioſus doctor contra hunc dicendi modum: Quomodo dicitis futura, quæ non ſunt futura? Et quomodo poſſunt in cognitionem Dei venire, quæ nec ſunt in ſe, nec in cauſis determinatè futura, nec vnquam contigūt? Adde quòd & ille doctor verè aiebat, Deum neminem damnare, antequā conſtituatur in eſſe culpa ipſius, propter quam damnetur: Alioqui, ſi etiam illa damnaret, quæ multi commiſſuri eſſent ſi viuerent; quis eſſet finis in damnatione peccatorum? Nec illud admittendum vllo pacto, quòd ſiue pueri, ſiue alii qui ſaluantur; etiam ſi longiorem ad viuēdum ætatem obtinuiſſent; certo ſalutem conſecuti fuiſſent. Et contra, de aliis pueris, quòd omnino fuiſſent damnati. Irrationabilia ſunt hæc iudicia: vt quæ nullo probabili innitantur fundamēto, & contra ipſam rerum naturam ſint.

Aguſtinus lib.

Illud ergo magno nunc animo concludamus, prædeſtinationis certitudinem, non ab operum præſcientia bonorum, ſed ab ipſa Dei mera & benigna prouidentia proficiſci. Nec.n.quia quis præſcitur ſaluandus; iccirco prædeſtinatur ſaluandus: ſed è conuerſo, quia prædeſtinatur ſaluandus, ideo & præſcitur ſaluandus, etiam ſub ratione futuri, & non ſicut in contingentibus. Et hinc ſequi quòd ſi in prædeſtinatione, certitudo continetur ſalutis, etiam in ea contineri certitudinem conferendç gratiæ, & perſeuerantiæ vſq; in finem. Alioquin non eſſet ſapientiæ diuinæ certò ordinare quenq̄ ad ſalutem, & ad media illuc adducentia, non certò ordinare.

Concluſio.

Dilutio obiectorum quæ inducebantur ad oſtendendum præſcientiam meritorum eſſe rationem prædeſtinationis.

VErum oportet nunc reſpondere obiectis ex B. Paulo, & Auguſtino, qui viſi ſunt atteſtari Dei præſcientiam eſſe rationem prædeſtinationis. Ergo ad illud Pauli quod ait: Quos prçſciuit, hos & prçdeſtinauit: vnde anſam accepere nonnulli ad hunc errorem, ſic interpretātes, Quos prçſciuit, videlicet, recte acturos, & bene vſuros gratia; etiam prædeſtinauit, vt ſic præſcientiam beatitudinis, & bonorum operum faciant præcedere ipſam prædeſtinationem: quod eſt præpoſterum, & pelagianum, ſicut iam diximus, & probauimus abunde. Nam quomo-

do poſſet præſcire Deus ſub ratione futuri rectè acturos, ac propterea beatificandos,niſi prius prædeſtinaſſet vt bene ageret,ac ſic beatificaret?

Ad hæc valde inepte in hunc ſenſum interpretantur iſta Apoſtoli verba:Quos præſciuit. Non.n.ex ipſa vi verborum magis ſignificantur qui bene ſint acturi quàm qui malè:Imò ſcholaſtici ſemper in mali partem accipiunt:ita vt præſcitos illos tantum intelligant, qui ſunt reprobati,& damnandi. Quare miror quoſdam qui profitentur ſcientiā rectè loquendi,nihil offendi eiuſmodi locutione,vt inde hauriant eum ſenſum. Apoſtolus.n.de præſcientia Dei illa loquitur,quæ terminatur in perſonas,non in acta. Dixit.n.Quos præſciuit:& non dixit:Quorum opera bona præſciuit. Quamobrem proculdubio exiſtimo B. Paulum ibi loquutum eſſe non de præſcientia futurorum;ſed de quadam præcipua notitia,quę eſt dilectionis ac probationis:vt id quod dixit.Quos præſciuit,perinde ſit ac ſi dixerit:Quos prędilexit,hoc eſt ante alios dilexit:ſignificans quòd cum omnes natura noſtra ſimus æqualiter diligibiles à Deo,& omnes diligamur ab eo,vt ſuæ creaturæ & tales creaturæ; bonitate tamē ſua quoſdam prædiligit,ideſt,ante alios,& ſuper alios ſuo amore ac fauore proſequitur . Et ii ſunt quos & prædeſtinauit,hoc eſt, ſimiliter ante alios,& præ aliis ordinauit ad vitam , ſicut etiam præ aliis dilexit quos ex omnibus elegit in hunc altiorem gradum,vt perueniret ad ſalutem.Sic expoſuit Origenes . Igitur ſcire,& noſſe, aut præſcire, & præcognoſcere,hoc in loco pro diligere,imò pro prædiligere, ſumitur.In quem ſenſum dixit ſpiritus ſanctus:Nouit dominus viam iuſtorum.Et iterum:Nouit Dominus Dies immaculatorum. Et alius : Priuſq̃ te formarem in vtero , noui te. Et B. Petrus CHRISTVM præcognitum dixit,ante mundi conſtitutionem,hoc eſt, prædilectū;& ideo prædeſtinatum . Iuxta hunc ſenſum dixit,Electos ſecundum præſcientiam Dei patris : præſcientiam ponens pro prædilectione ; qua prę cęteris euecti erant ad potiora dona,ſiue gradus.In hūc ſenſum dixit Apoſtolus:Non repulit plebem ſuam quam præſciuit,id eſt, quam præ aliis
Rom.11. dilexit.Et alibi : Nouit Dominus qui ſunt ſui. Id eſt, diligit,ac protegit
2.Timo.2. ſua prouidentia peculiari , etiam peculiariter ſibi adiunctos . Vnde & Dilectus de illo ait:Cùm dilexiſſet ſuos,vſque in finem dilexit eos. Et de huiuſmodi genere notitiæ dixit Dominus: Cognoſco oues meas, & cognoſcunt me meæ. Sicut econuerſo de illo dicitur quòd non nouit
2.Cor.5. peccatum.Et iis quos extremo proſequitur odio,ſe dicturum teſtatur:
Mat.7.25. Non noui uos.Neſcio vos.Et de ſuis ouibus dicitur quòd nō nouerunt vocem alienorum:hoc eſt,non probauerunt,nec dilexerunt. Eſt autem huius nominis tam frequens acceptio in ſcripturis,in hanc ſignificationem,vt ſi liberet & alia congerere,nimius eſſem .

Eſt igitur eorum verborum planus & perſpicuus ſenſus,quòd Dominus,quos præſciuit,ideſt,quos inter multos prædilexit; eos etiā exemit ab aliis,et prædeſtinauit,hoc eſt,præ aliis ordinauit ac determinauit ad vitam æternam.Auſim.n.dicere meo periculo,quòd hoc verbo:præſci-

uit:

uit:quod græcè eſt PROEGNO, cùm dicitur de Deo,& adiūgitur perſonæ;non in aliam ſignificationem vnquam reperias in vniuerſa ſcriptura,niſi in hanc, vt notitiam ſignificet beneuolentię,& amicitiæ.Nam & noſtra materna lingua,ſi quem ſignificare volumus ab amicitia, aut dilectione noſtri diſiunctum;ſolemus dicere:Iam me non noſti.

Sed ſunt quidam, qui videntur delectari in turbidis,& labyrinthis; & iccirco quum rem illis explicatam atq; expeditam apportas;ingratis recipiunt.Malunt.n.non intelligere,aut quærere difficiliora,& altiora. Caietanus hoc in loco teſtatus eſt,hunc ſenſum eſſe planiſſimum, ac ſine vllo ſcrupulo procedentem. Et tamen quendam quæſiuit etiam, vt ait ipſe,profundiorem:Vt autem mihi videtur;valde ineptum, non tamen falſum in ſe:ſed conuenit cum eo quod docemus,præſcientiam Dei bonorum operum,à prædeſtinatione venire,nōn è conuerſo. Sed ad mentem Apoſtoli,ego alium intellectū horum verborum, quàm illum quē protulimus,probare non poſſum:videlicet, Deum in multitudine hominum,cùm omnes diligat;prædiligere tamen quoſdam ſignatos ac numeratos,& iccirco illos prædeſtinare,hoc eſt (vt iam dixi) præ cæteris definire ac determinare ad ſalutem. Et ſecundum hunc reſpectum, interpretanda eſt illa præpoſitio PRÆ, quæ ſignificat,Ante,in hoc verbo prædeſtino:vt hic ſit ordo. Primum ſingulariter prædeſtinatus eſt CHRISTVS vt ſit ante omnes.Deinde ii,qui ſunt CHRISTI,id eſt precipuè dilecti in illo,præ reliqua turba, quam tamen Dominus Deus non derelinquit,nec vult expertem eſſe ſalutis.Quāquam & alio modo poteſt intelligi,vt ſignificentur prædeſtinati, hoc eſt, determinati certò ad ſalutem,ante illorum opera nota coràm Deo. Non tamen dico Ante,ſignificans ordinem temporis;ſed naturæ & cauſæ:vt pręſcientia hęc bonorum operum ſequatur prædeſtinationem,'& non ſit eius cauſa. Sicut dicitur de Iacob,quòd antequam quicq̄ boni egiſſet, dilectus fuit atq; electus præ Eſau fratre ſuo. Hic ſenſus etiam verus eſt, & procedit abſq; ſcrupulo,vt & cum priore ſimul coniungi valeat, ac retineri, vt prædeſtinati dicantur,qui ante alios ordinati ſunt,& firmiore modo ad vitam,& ante pręuiſionem ſuorum operum.

Quoniam vero etiam B. Auguſtinus Dei præſcientiam in prædeſtinatione concluſit,& à præſcientiæ certitudine videtur velle concludere prædeſtinationis certitudinem;videndum eſt in quem ſenſum verificetur eius doctrina. Non.n.arbitrandum eſt illum tantum virum adeo fuiſſe imperitum,vt non videret aliud eſſe Dei præſcientiam iuxta communem acceptionem in re propoſita, quæ eſt poſt exiſtentiam rei,ſiue in ſe ipſa,ſiue in ſuis cauſis;aliud verò prædeſtinationem:nec alteram in alterius ratione includi,& potius certitudinem præſcientiæ à certitudine prædeſtinationis deſcendere. Loquens.n.ipſe recte in libro de prædeſtinatione & gratia,cap.15.de huiuſmodi præſcientia,ſic ait:Dei pręſcientiam non cogere hominem vt talis ſit qualem præſciuit: ſed præſcire talem futurum,qualis futurus eſt,quamuis eum non ſic fecerit Deus.

C

Ecce quòd hanc Dei præſcientiam intelligit nihil ponere in rebus, ſed ſolummodo quatenus,& qualiter ex ſuis cauſis eueniant,præuidere. Vir .n.ille acutiſſimus, cognoſcens vim diuinæ prædeſtinationis, in qua eſt voluntas & propoſitum largiendi VITAM ÆTERNAM, & hoc non ſine MERITIS, & conſequenter non ſine donis, vnde merita poſſunt comparari; vidit neceſſario in prædeſtinatione includi notitiam eorum donorum, & beneficiorum, quæ ipſe decernit ſe daturum: ſine qua notitia nòn poteſt eſſe prędeſtinatio. Includitur.n.in prędeſtinatione notitia hæc, ſiue præſcientia, ſuorum videlicet donorum. Vnde ſemetipſum declarans ipſe,ait: Hæc inq̃ dona Dei, ſi nulla eſt prędeſtinatio, non præſciuntur à Deo. Præſciuntur autem; hæc eſt igitur prædeſtinatio quam defendimus. Vnde aliquando eadem prædeſtinatio ſignificatur etiam nomine præſcientiæ &c. hæc ille. Et non multo poſt addit: Sed prædeſtinaſſe, hoc eſt, præſciſſe quæ fuerat ipſe facturus. Et iterum: Si autem vtrunq; Dei donum eſt,(videlicet incipere,& vſq; in finem perſeuerare) & hæc Deus dona ſua daturum ſe eſſe præſciuit; prædeſtinatio prædicanda eſt. Hęc ille. Vt ex eius dictis illa conflata ſit deſcriptio: Prædeſtinatio eſt præſcientia ac præparatio beneficiorum Dei. Vt videas de qua præſcientia loquutus ibi fuerit, quæ abſq; dubio, rei exiſtentiam non ſequitur,ſed præcedit,& cauſa eſt eius. Quanq̃ reuera B.Paulus non de hac ſenſit, qui terminat pręſcientiam in perſonas. Auguſtinus verò in dona,ita vt alterius generis velit eſſe præſcientiam eorum qui prædeſtinati ſunt,ab ea quæ eſt eorum qui damnantur: vt patet in Epiſtola.CV.ad Xiſtũ vbi ait: Et ne quiſq̃ exiſtimaret credẽtes ſic pertinere ad eius præſcientiam quomodo non credentes,&c. Nullus igitur eorum,neq; Apoſtolus,neq; Auguſtinus,ſi rectè intelligantur, contradicit noſtræ ſententię.Imò B.Auguſtinus vbiq;,quod ad hunc articulum pertinet,certat pro nobis. Poſſemus tamen & ſuper huius glorioſi doctoris ſententiis plura meditari,& ſubtilius de eo quod ſenſerat inquirere;ſed non expedit.Veritas.n.potius inquirenda,& aſſerenda eſt.

Lib. de bono perſeuc. cap. 2.&.cap. 18.

Quæ, & quorum præſcientia Dei præſupponatur, aut comitetur, aut ſubſequatur prædeſtinationem.

OPeræpretium igitur duco de præſcientia Dei paulò amplius pertractare pro veritate,vt quę includatur in prædeſtinatione,& quę ex illa veniat,& quomodo;acutioribus ĩgeniis manifeſtius pateat.

Sciendum eſt ergo primum,Dominum Deum, quæcunq; videt eorum quæ extra ipſum,ſuam in ſeipſis habent exiſtentiam;videre illa in ſemetipſo.Non.n.ſimilis eſt nobis Deus,vt rerum extra ipſum exiſtentium viſionem ab ipſis,tanq̃ ſibi obiectis accipiat,ſicut accidit nobis:ſed ipſe ad ſeipſum aſſidue conuertendo obtutum, videt cuncta quæ extra

ipſum ſunt: quoniam ſeipſum videns; videt ea in ſeipſo, vt in cauſa perfe cta atq; aſſidua vnde emanarunt, & conſeruãtur. Et ideo longè melius ac dignius atq; limpidius illa ĩ ſemetipſo cognoſcit, tanq̃ à ſemetipſo pro feсta, ac per ſeipſum ſubſiſtentia, ſua ipſius omnipotentia ac voluntate.

Deinde cogitandum, quòd Deus ipſe ſua eſſentia, quę eſt immutabi lis atq; æterna, ambit, & continet omne tempus: non autem comprehen ditur ipſe ſub tempore. Et ſimiliter ſua viſio, qua videt quæcũque videt, non menſuratur tempore: ſed ſua potius æternitate, quæ eſt immenſa, continetur, ſi ſic etiam loqui liceat. Eſt.n. æternitas vnum NVNC, ſi ſtens, ambiens, ac ſuperans ineffabiliter omne tẽpus, & cuius parti tem poris, & momentis ſiue inſtantibus coexiſtens: cuius viſio, reſpectu crea turarum, licet ſit æterna in ſemetipſa, quia non eſt aliud quàm Deus ip ſe videns; non tamen eſt rerum ęternarum: & ideo cernit eas exiſtere pro eo tempore, quo exiſtunt uel in ſemetipſis, vel in ſuis cauſis, quas ipſe met diſpoſuit atq; ordinauit. Quod.n. nondũ eſt quouis modo, neq; in ſe, neq; in cauſis ſuis determinate; non poteſt nec oculo diuino determi natè videri quòd exiſtat.

Tertio cogitandum eſt, quòd ipſe Deus, qui eſt omnium rerum prę ter ſemetipſum, prima & maxima cauſa efficiens & finalis, per ſuam ſa pientiam diuerſas rerum naturas condidit, & diuerſas operationes atq; effectus produci ab his voluit. Sunt.n. res & incorruptibiles, & corrupti biles: & ab iis voluit procedere effectus, hos quidem neceſſarios, hos au tem contingentes. Et ob eam cauſam, voluntas ipſa diuina, erga hæc di uerſa, diuerſimodè ſe habet vt cauſa. Nam euentibus quos ipſe euenire neceſſario voluit; aptauit cauſas neceſſariò producentes euentus illos. His vero quos decreuit contingenter euenire; aptauit cauſas quas con tingentes vocamus: ideſt, tales, quæ non determinatè vnum pariunt euẽ tum, ſed vtrumlibet, ſicut eleganter B. Thomas declarat. Sicut ergo di uerſimodè circa diuerſos huiuſmodi euentus ſe habet Deus vt cauſa; ita ſe habet diuerſimodè circa illos præſcientia ſua. Nam neceſſarios euen tus determinatè dupliciter videt: pro vt ſunt primò in cauſis, & vt poſt modo in ſemetipſis. Ad ſe.n. reſpiciẽs Deus, & ad prouidentiã ſuam, de qua ſurgunt & conſiſtunt omnes cauſæ; videt euentus illos eſſe in cauſis à ſe præparatis anteq̃ ſint illi in ſemetipſis: & ſic reſpicit vt futuros pro iis temporibus, anteq̃ ſint in eſſe ſuo. Et nihilominus etiam videt illos vt exiſtentes, pro eo tamen tempore, quo exiſtunt: quoniam, vt dixi, ocu lus ſuæ æternitatis extenditur ad omne tempus, & ſemetipſum con templans, videt eos præſentes, quia nouit pro illo TVNC eos iam ex ſe emanaſſe, dum cum ſecundis cauſis ipſe ad eorum productionem cõ currit. Contingentes autem euentus non poteſt ſimiliter determina tè videre in ſuis cauſis pro eo tempore anteq̃ eueniant, cum eo tempo re non ſint ad huc ipſæ cauſæ ad vnum determinatæ, ſed ad vtrumlibet ſe ſe habeant. Reſtat igitur vt Deus tales effectus ſolummodo videat pro eo tempore quando iam ſunt in eſſe, aut quando iam cauſis ad vnã

contradictionis partem inclinatis;illa pars determinatè acquirit neceſ-ſitatem exiſtendi. Nam quod eſt,dum eſt,neceſſario eſt,vt Philoſophus rectè inquit.

His igitur ſanè apprehenſis,facile eſt videre, quęnam pręſcientia,ſeu præuiſio vel præſupponatur,vel includatur, vel ſubſequatur in prædeſtinatione Dei.Tria.n.ſunt manifeſtè,quæ à Deo pręſciri oporteat cùm prædeſtinat:videlicet,perſonam quæ pręđeſtinatur;finem ad quem pręđeſtinatur;& media per quę velit prædeſtinatum ad finem illum perduci. Quòd verò alia requirantur ad prædeſtinationem, aut aliorum præſcientia requiratur in pręđeſtinante;ego prorſus non video nec ex vi vocis,nec ex alia ratione. Subſequitur tamen prædeſtinationem hāc præſcientia certa bonorum operum, & adeptionis finis,ideſt,quòd pręđeſtinatus benè vtetur gratia,& potietur vita æterna. Et hoc eſt,quoniā in prædeſtinatione Dei,eſt certa ipſius Dei voluntas,vt hæc eueniant,& ſic præparatæ ſunt cauſæ neceſſariò ad hunc effectum ducentes: quæ cùm ſint per voluntatem Dei:Deus in ſemetipſo reſpiciens, videt illas, & ſic in illis ipſos euentus,qui aliquando erunt in ſeipſis,& pro illo tempore etiam videt exiſtentes.Et hæc ſunt quæ de præſcientia habui vt latiore ſermone declararem.

Quòd à prædeſtinatione non modo liberum arbitrium non deſtruatur, ſed potius ſtatuatur.

SVpereſt autem nūc ad illud quod ab initio opponebatur de libero arbitrio reſpondere.Cōfidenter ergo dicimus cum B. Auguſtino, tantum abeſſe vt per hanc certitudinem ſalutis, & boni vſus gratiæ, liberum tollatur arbitrium;vt contra potius etiam ſtatuatur ac perficiatur. Falſa eſt.n.vulgaris quædam exiſtimatio putantium non eſſe liberum arbitrium, niſi habeat facultatem ad malum ſicut ad bonum.Hoc .n.dicto non vident quòd auferunt liberum arbitrium ab angelis, & ab animabus beatis:imò & ab ipſo Deo:qui nō poſſunt in aliquod malum. Neq; conſiderant quòd non eſt potentię liberi arbitrii poſſe in malum: ſed imbecillitatis,& impotentiæ:quæ venit à defectu lucis, & ab infirmitate. Natura.n.liberi arbitrii,quod eſt voluntas, eſt ferri in bonum,nō in malum.Quòd.n.feratur in malum;eſt quia apparet ei vt bonum.Hoc autē quòd ſic appareat;accidit vel à defectu,vt dixi,luminis; vel ab eius offuſcatione,propter deprauationem ipſius liberi arbitrii, quòd veluti guſtus ea probat quaſi bona,quæ bona non ſunt. Scimus ergo quòd liberum arbitrium in hac natura corrupta ſibi dimiſſum,non poteſt niſi in malum ferri: id quod ſæpenumero B. Auguſtinus docet. Et ſcimus quòd etiam ſtante gratia communi,quæ non negatur vlli, niſi quis eam recuſet;poteſt etiam in malum flecti, & ſæpe flectitur. Sed ſi poni-

mus præter communem gratiam, etiam gratiam prędeſtinationis; dicimus cum D. Auguſtino, & vt B. Thomas docet, adiungi in his tantam Dei protectionem, totq; gratię adminicula, vt & ſi forte labātur; erigat eos: & ſi cadant, excitet vt reſurgant: ita tandem vt obdormiſcant in pace, & pręſeruentur à morte ſecunda. Nam & ſi vnicuiq; detur iuxta communem gratiam vt poſſit perſeuerare ſi velit; prędeſtinatis tamen hoc amplius donatur vt perſeuerent omnino: non quidem coacti: imò etiam magis volentes, & cum maiore poteſtate liberi arbitrii. Eſt .n. Deo facillimum ita illuſtrare intellectum, & ita charitatis feruore incendere voluntatem, & alia amouere obiecta, quę obſtant; vt propoſito ſibi bono; non contingat recuſatio eius: quod eſt non à defectu liberi arbitrii, ſed potius à ſanitate & robore: quod quanto certius obiectum ſibi bonum agnoſcit; tanto etiam ardentius in agnitum fertur. Non tamen putandum eſt tale eſſe liberum arbitrium in huiuſmodi etiam quū confirmantur in gratia, quale eſt in beatis. Nam in prędeſtinatis & confirmatis, uerè poteſt dici ex ſe eſſe peccabile: ſed quòd propter Dei protectioné, & adminicula multa, prohibetur ne peccet. In beatis verò omnino impeccabile redditum eſt. Sicut de Adę immortalitate dicitur quo ad corpus, reſpectu immortalitatis beatorum. Erat .n. non vere immortalis: ſed ex protectione Dei, & per remedia fiebat ne moreretur in eo ſtatu perdurans. At beati, corpus omnino immortale recipiunt. Quòd autem talis ſit conditio prędeſtinatorum à prouidētia Dei ex illius beneplacito; iam ſuperius efficaciſſimè à ſcripturis ſanctis oſtenſum eſt.

SVMMA DOCTRINÆ DE PRÆDESTINATIONE Lib. II.

Quòd ex prædeſtinatione electorum non ſequitur reprobatio aliorum ab aſſecutione ſalutis.

STANTE igitur hæc ſententia de prędeſtinatione, & ſic ſe habente vt abſq; vllo reſpectu futurorum operum, Deus dicatur quoſdam certò eligere ad ęternam vitam, & conſequenter vt opera faciāt digna illa vita; alios vero dimittere, ac reprobare (nam vbi de multis eſt quorundam electio; certè aliorum eſt reprobatio) perturbantur nonnulli, & conqueruntur incuſantes Deum tanq̄ acceptatorem perſonarum, & iniquum, qui ſic diuidat abſq; vlla ratione genus humanum, vt alios eligat atq; erigat ad ſalutem; alios vero contemnat, atq; reiiciat. Nos autem, & ſi ſciamus quòd non egeat defenſore Deus, cuius iudicia recta ſunt, & iuſtificata i ſemetipſa; propter noſipſos

tamen,vt omnem blaſphemię occaſionem auferamus;volumus eum ab omni calumnia,illo propter ſuam bonitatem nos adiuuante,tueri.

Primò autem ponendum eſt id,quod facit,& diſponit Deus, vt videamus quid querelæ aduerſus illum ab homine intendi poſsit. Nam ſunt qui ſupponunt Deum ea facere,quę non facit. Sunt ergo qui, ſicut ab initio propoſuimus,dicant,& doceant,quaſi de ſcripturis ſanctis cōpertum,velle Deum à principio ſimpliciter,& abſolute quoſdam homines ſaluos facere,quos prędeſtinatos vocant,& electos:quoſdam vero,id eſt, reliquos omnes,perire,& in ęternam damnationem tradere, nulla ſuorum operum ſiue bonorum,ſiue malorum habita conſideratione. Hoc autem perdurum reuera,& iniquiſſimum videtur, vt quod minimè Dei bonitati & ęquitati,quam nobis paſſim prędicant ſcripturę ſanctę, conueniat.Scio quòd qui hęc volunt ſuſtinere (quę tamen humana ratio & exiſtimatio probare non poteſt,nec admittere)ſi quid mutiamus aduerſus hunc dicendi modum;protinus terroribus,& exemplis figuli perterrefaciunt nos, aientes:Tu quis es qui reſpondeas Deo?Nunquid figmentum dicit ei qui ſe finxit,Cur me feciſti ſic?Ego vero aſſumā verba Iob, & dicam:Vere ſcio quòd ſi voluero contendere cum Deo, nō potero ei reſpondere vnum pro mille.Neq;.n.viro qui ſimilis ſit mei reſpōdebo, nec qui mecum in iudicio ex ęquo poſſit audiri.Omnipotens eſt, & nos in manu eius quaſi in manu figuli lutum ſumus. Et quòd ſi velit innocentem perdere & damnare,hoc poteſt. Et eo poſito quòd ita velit; nemo poteſt ei dicere:Cur ita facis:Sed hoc prius videndum erat, an verè ita ſe res habeat vt id velit,ſicut ipſi proferunt.Si.n.hoc mihi mōſtretur; ſilebo,nec aperiam os meum. Sed nō arbitror iſtud mihi poſſe monſtrari de Deo, cuius iudicia audimus eſſe iucunda, ęqua,& iuſta, & ab ipſo etiam homine probanda,niſi velit à recta ratione recedere.Ea.n.inquit eleganter D. Auguſtinus,credendus eſt Deus facere;quę homo recta ratione deputans,recta atq; ęqua eſſe arbitraretur. Homo autem recta ratione deputans,prę ſertim à ſcripturis ſanctis edoctus;nunq̃ poterit arbitrari illud eſſe Dei, qui diligit omnia quę fecit, velle perdere creaturam immerentem.Poſſet quidem ſi vellet,cui dubium? Sed non quid poſſit, ſed quid velit, aut quid eum velle ſit credibilius, quęrimus nunc.

Ad hęc,& ſi perdere Deus quos vellet poſſet;punire tamen abſq; peccato vllum non poſſet, ſecundum partem iuſtitię, quę eſt vindicatiua. Aut.n.oporteret fateri Deum calumnioſum,& iniquum,ſi propter peccatum puniat,quod non eſt:aut quòd ipſe peccatum ipſum intendat, ſi omnino deliberat punire propter peccatum,nondum illud vidēs:quod eſt abſurdum,& blaſphemum. At,inquiunt,hoc velle Deū ad perfectionem vniuerſi,videlicet,quoſdam erigere ad ſalutem,quoſdam verò damnare,vt non ſolum in parte miſericordię; verum etiam in parte iuſtitię glorificetur:ac propterea non eſſe inconueniens Deum intendere aliquod particulare malum,quod in bonum recidat vniuerſi: & propterea aiunt B. Paulum dixiſſe: An non habet poteſtatem figulus ex eadem

maſſa facere aliud quidem vas in honorem,aliud verò in contumeliam? »
Quòd ſi Deus volens oſtendere iram,& notam facere potentiam ſuam; »
ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, vt oſtenderet »
diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ ſuæ &c. Ex quibus verbis vide- »
tur facile porrigi ille ſenſus,quòd Deus,quaſi figulo,faciat, aptàs ſibi ua-
ſa quædam in honorem,quę ſunt uaſa miſericordię; quędam uero uaſa
contumelię:& hęc ſunt uaſa irę:& hoc,vt glorificetur tàm de potentia,
quàm de clementia. Adiungitur & exemplum de Iacob,& Eſau, quo-
rum alter dilectus fuit,alter odio habitus,antequam quicquã boni, aut
mali feciſſent:ita ut neceſſe ſit dicere,ſicut nec propter bona opera ſua
alius fuit electus; ita nec alius propter mala ſua opera reprobatus.
Quod certè exemplum fuit occaſio ad uarias opiniones,quæ longe ab-
ſunt à ueritate ſcripturarum: Et ad hanc præcipuè,quæ uult talem eſſe
hominum à Deo factam mera ſua uoluntate diſcretionem, ut quædam
pars abſq; operibus ac meritis bonis erecta ſit;quædam uero è contra-
rio etiam ſine malis operibus reprobata.

Verùm,niſi uelint impoſſibilia iactare,& in Deo ponere iniquitatē;
nunq̃ hoc,ullo figuli exemplo,poterunt obtinere,uidelicet, quòd Deus
uelit cuiuſquam damnationem ac punitionem,nullo præcedēte,& præ-
ſuppoſito peccato.Hoc.n.facilè uidit B. Auguſtinus, & pulchris etiam
uerbis confirmauit,quæ inferius adducentur. Quis autem non uideat
perplexum eſſe,& contradictionem inuoluere,uelle Deum punitorem,
& uelle non eſſe peccatum quod puniatur, cùm punitio præſupponat
peccatum? Dicere autem uelle Deum punitionem,& conſequenter uel-
le peccatum quod puniat,nonne iniquiſſimum eſt & abſurdiſſimum?At
horum alterū,ut dixi,neceſſe eſſet confiteri dicentes,uelle Deum ab ini-
tio,citra ullam perſpectionem noſtrorum operum,quoſdam miſericor
diter ſubleuare;quoſdam uerò iuſtè punire.Abſit enim quòd Dominus
Deus intendat peccatum,aut quouis modo uelit illud,niſi permiſſiuè.
Nam ſi hoc intenderet ac uellet;quomodo eſſet peccatum ſi fieret? aut
cur prohiberet ne fieret?At,inquiunt,uult hoc,ut poſſit exercere uindi-
ctam,& ita de iuſtitia commendari. Verùm abſit ut hoc de clementiſſi-
mo Patre & indulgentiſſimo principe chriſtianus animus ualeat cogita-
re,quę de homine principe cogitare abſq; animi indignatione nemo re-
cti iudicii poteſt. Nam uide quanta hinc emergunt abſurda.Si.n.illud
ab initio uellet Deus,uidelicet,nos peccare;& nemo peccet niſi uolens;
& in poteſtate noſtra ponitur non peccare;In poteſtate ergo noſtra eſ-
ſet fruſtrari deliberationem Dei. Et amplius, cum non fruſtraremur il-
lam,ſed peccaremus adiuuando eam;Deus nobis agere gratias deberet,
quia peccauimus,ut compleri poſſet eius uoluntas afficiēdi nos pœnis.
Quo ſtante,cur igitur aduerſum nos conquereretur quòd peccauimus,
ſi hoc ille intenderet pro gloria ſua,& manifeſtatione gloriæ ſuæ?Quod
ſi in poteſtate noſtra non eſſet non peccare; quomodo faceret nobis
peccatum imputabile,quod euitare non poteramus?Attende igitur pie

lector,& conſidera quòd peccauerunt multi angelorum, & peccauit homo ab initio,qui tamen poterant non peccare,id quod & gratius fuiſſet Deo,& illis vtilius.Maluiſſet.n.Deus non habuiſſe materiam exercendi vindictam. Attamen poſtquam peccauerunt angeli; indignatus meritò Deus, animatus eſt ad vindictam,vt de iuſtitia vindicatiua commendaretur. Et poſtquam peccauit homo; excitatus eſt ad prouiſionem remedii,vt commendaretur de miſericordia.Nam in angelos rationes ad miſericordiam concedendam non vidit.Sed in homine vidit: & ideo co-
» gitauit cogitationes pacis, non afflictionis. Sed non erat ſimpliciter & abſolute pertinens ad pulchritudinem vniuerſi, quòd Deus commendaretur de iuſtitia vindicatiua, niſi ex ſuppoſitione,videlicet, iam exorto peccato.Sicut quædam virtutes ex ſuppoſitione ſunt virtutes:vt verecũdia,& pœnitentia,quæ tamen non ſunt abſolute ac ſimpliciter neceſſariæ ad collectionem perfecti corporis virtutũ (vt ita dicam) ſed ſolum dato errore,aut delicto.

Quare non eſt quouis modo æqua lance admittendum, Deum velle peccatum vt de iuſtitia commendetur; ſicut vult obedientiam, vt commendetur de miſericordia.Quod vel ex eo patet,quòd peccatum quidẽ ipſe vetat,obedientiam verò pręcipit. Denique contra hanc HÆRE-
» SIM eſt ſcriptura manifeſta, quæ ait: Non dicas, ille me implanauit.
» Non.n.ſunt ei neceſſarii homines impii,& nemini mandauit impiè age-
» re,& nemini dedit ſpatium peccandi. Non.n.concupiſcit multitudinem
» filiorum infidelium,& inutilium. B. quoque Auguſtinus hoc ipſum eleganter docet in re propoſita, aduerſus eos,qui aiebant, peccata facere ad perfectionem vniuerſi,eò quòd iuſtitia Dei puniens commẽdaretur. Arguens igitur contra hoc,& reprehendens concludit, quòd nec miſeria peccati neceſſaria erat ad perfectionem vniuerſi,quæ conſtare poterat abſq; peccato.Imò à peccato potius deturpabatur,quod ipſam etiã perfectionem potuiſſet deſtruere,niſi ſuppeditante Deo decorem iuſtitiæ ſuæ;turpitudo illa peccati, conuenienti vindicta compenſata, elideretur.

Lib. 3. de lib. arb.

Ad hæc,illud inſuper conſiderandum aduerſus hos, qui prædeſtinationem ponunt,vt Dominus Deus de miſericordia commendetur.Nam in angelis non ponitur ad pulchritudinem vniuerſi,illorum prædeſtinatio,iuxta ſententiam B. Auguſtini,nec reprobatio quidem illorum qui peccauerunt,anteq̃ peccaſſent. Et tamen non defuit vnde de vtraq; ſua virtute laudaretur i illis Deus,videlicet,de miſericordia, & iuſtitia:quod etiam in hominibus accidiſſet,abſq; iſta,quam ponunt,prædeſtinatione ac reprobatione. Nam & ſi nullus neq; hominum,neq; angelorum peccaſſet;& de miſericordia potuiſſet laudari Deus, qui eos à peccato ſeruaſſet;& ſimiliter de iuſtitia.Nam iuſtitia etiam fuiſſet reddere iuſtis coronas ſuas.Quòd ſi dicant,Non fuiſſet iuſtitia punitiua: hanc dicimus non debuiſſe eſſe à Deo, niſi peccato præſuppoſito, quod nullo modo poteſt dici intẽtum eſſe à Deo.Nullus.n.bonus pater familias vellet ha-

De cor.& gra.capi. 10.&.11.

bere

bere filium malum vt poſſet eum punire, quem vix velit punire cùm reperit deliquiſſe. Nec vllus Rex ſapiens vellet habere vllum ex ciuibus malum, vt poſſet punire illum, ac per hoc de iuſtitia laudari. Quanto ergo minus Deus, cùm ſit ipſe verè bonus Pater; nos autem præ illo, omnes ſumus mali? Ipſe enim re nulla eget vt beetur, qui eſt ipſamet beatitudo. Ideo minus indiget peccatis noſtris, vt per ea exquirat materiam ſuæ laudi, & cum aliena iactura, ſic velit locupletior fieri. Profectò non ſolum credere, ſed vel in horum cogitationem venire; arbitror ab humana prudentia eſſe alienum omnino. Dico humanam prudẽtiam, quæ eſt rationi conſentanea, vt potè à rationibus diuinis proficiſcens.

Quòd clementiſſimus Pater Deus, prædeſtinatione ſuorum, neminem reliquit in maſſa perditionis.

HÆC igitur ſumma incommoda atque abſurda videntes alii; poſuerunt prædeſtinationem, ac reprobationem iſtam in mẽte Dei poſt Adę peccatum; per quod, vniuerſum noſtrum genus, factũ eſt quaſi vna maſſa, quam vocant perditionis. Et hinc aiunt, quòd Deus hoc videns; ſeparauit, ſua electione ac prædeſtinatione, paucos ab hac vniuerſitate. Dico paucos (vt B. Auguſtinus declarat) comparatione reliquorum, quos in ea perditione reliquit, nolens eos ab ea ſubleuare, ſed in damnationem relinquere. Hoc uerò non iniquè (aiunt) quia ſatis erat ad iuſtitiam punitiuam peccatum illud primi parentis; quo rei omnes (vna Matre Dei excepta) aſtringimur ac tenemur. Hanc opinionem videtur induxiſſe D. Auguſtinus, ante illum in Eccleſia nec cogitatam quidem. Quanquam nec illum conſtanter docuiſſe eam, neque omninò ipſum perſuaſum fuiſſe; verba ſua multis in locis declarant: quando nec incidentes circa illam quæſtiones ſe ſcire reſoluere, ingenuè confitetur: & nonnulla cum animi anguſtia profert, tanquam nõ habens illam, quæ eſt in aliis fidei articulis, PLIROPHORIAN. B. Auguſtinus.

Quare ego cum omni reuerentia, quæ tanto, ac tantæ ſanctitatis & doctrinæ viro debetur; & nihilominus cum fiducia, quam mihi affert ipſemet glorioſus Doctor, qui mandat omnibus, ne illi fidem noſtrã aſtringamus, vbi vel ipſe nutat, aut non probat: præſertim cùm & ſcripturæ autoritas, & rationum momenta, ſuam iſtam poſitionem, multis ac, ni fallor, inuictiſſimis argumentis euertant, ſicut arbitror euidenter oſtenſum eſſe in aliis opuſculis noſtris; hic non aliud dicam, niſi eam opinionem aduerſari pretio ſanguinis CHRISTI, & redemptioni totius mundi per CHRISTVM. Et neſcio an aliquid poſſit cogitari, quod magis officiat ſtudio, & induſtriæ bene operandi, ſi iam, nõ dico pręſcitum, ſed definitum fuerit à Deo, qui ſint bene operaturi, & qui non: Præter alia multa & maxima argumenta, quæ ibi aggregaui, quę nunc nõ abun-

dat mihi otium vt hic recolligam. Satis ſit concluſio hæc, quam ai bitror catholiciſsimam, Nullum in futuro CHRISTI Iudicio propter illud ſolum Adæ peccatum eſſe damnandum: ſed, vt ait Apoſtolus, Vnuſquiſq; onus ſuum portabit, & iudicabitur pro vt geſſit in corpore; ſiue bonum, ſiue malum. Verum hac de re alibi.

Nota

»

»

Quo pacto non prædeſtinati, dici valeant reprobari.

D. Thomas.

VIdetur autem alia quædam via dicendi ex B. Thoma, ſi modo ſit alia. Pro cuius declaratione primùm ille ſumit, quòd ad prouidẽtiam Dei pertinet permittere vt ſint peccata, vnde ſequitur reprobatio. Quare non mirum, ſi qui non ſunt prædeſtinati, & peccant Dei permiſſione; à Dei iuſtitia reprobentur. Hæc ille in ſumma, cùm quæſtionem de reprobatione reſoluit: quæ vel non ſatis capio, vel nõ ſatis quæſtionem reſoluunt ad animi quietem.

Primò. n. ſi reprobatio non aliud ſecum portat, quàm permiſſionem peccati, ſi forte fiat; non protinus ad hanc permiſſionem conditionalem ſequitur damnatio. Quia etiam in prædeſtinatis permittitur peccatum, nec tamen damnatio. Nam & multi illorum peccauerunt, ſed non ſteterunt in peccato. Quòd ſi quis dicat Beatum Thomam intellexiſſe permiſſionem perſeuerantiæ in peccato, quæ non conceditur erga prędeſtinatos; ego etiam dico, quòd ad hanc permiſſionem, ſi conditionaliter intelligitur; non ſequitur de facto peccatum, aut perſeuerantia in peccato, & conſequenter nec reprobatio. Nemo enim reprobatur ex permiſſione peccati & perſeuerantiæ in illo, niſi de facto ponatur ipſum peccatum, & in ipſo peccato perſeuerantia: quoniam permiſſio Dei huiuſmodi, non eſt cauſa facti, niſi hoc modo, quòd niſi permitteret; non fieret: vt cùm factum fuerit; certum ſit Deum permiſiſſe: non autem econuerſo, ſi permittit, certum eſt factum eſſe: quia permiſſio intelligitur in eo, qui poteſt & facere, & non facere. Ponamus ergo quòd non faciat peccatum talis permiſſus facere ſi velit, aut quòd ſi fecerit, non perſeueret in eo: certe hic non damnabitur: nemo igitur reprobatur à Deo per id ſolummodo, quòd Deus præſtituerit permittere peccatum & perſeuerantiam in illo: ſed vt reprobetur, oportet de facto peccatum præcedere, & perſeuerantiam, ſi reprobatio includit damnationem æternam. Non ergo in Dei reprobatione reuera includitur, tanq̃ eius effectus, peccatũ: imò nec ipſa peccati permiſſio: quoniam vtrumq; ſequitur ipſa reprobatio, ſi ita (vt diximus) reprobatio accipitur, vt ſit voluntas Dei æterna, & odium & pœnam æternam volens: ſicut reuera Apoſtolus accipit, & deberet accipi.

Si verò reprobatio non hoc importat, videlicet, damnationem æternam, ſed ſolummodo Dei volũtatem permiſſionis peccati, ſi modo fiat; tunc certè, vt dixi, iam ad huiuſmodi reprobationem nõ ſequitur de fa-

cto peccatum:& propterea non ſequitur pœna mortis æternæ, nec ſequitur,quòd qui tali modo reprobatur,fieri ſaluus non poſſit,nec quòd de facto non fiat ſaluus.Nam.reprobatio hęc,quæ ſolum includit permiſſionem peccati ſi fiat;ſtat cũ benigna Dei voluntate, qua nolit fieri, & qua continget per auxilium gratiæ ſuæ ne fiat:ita vt dari poſſit quòd non fiet. Non.n.quia permittitur fieri peccatum ſi fiat; propterea ſtatuitur vt fiat. Conditionalis.n.non ponit in eſſe.Poteſt ergo ſic reprobatus ſaluari,non obſtante tali reprobatione.

Quare nihil abſurdi ſequitur ſi multos, eatenus tãtum reprobatos, credimus quòd ſaluantur,ſi hoc modo accipimus reprobationẽ ex ſententia B. Thomæ,videlicet,vt ſolum importet permiſſionem peccati ſi fiat.Nihil.n.prohibet cuncta quæ diximus admittere abſq; ſcrupulo,videlicet,quòd tales reprobati poſſunt nõ peccare finaliter, et ita ſaluari. Item quod nonnulli ex his non peccent finaliter, & ideo ſaluẽtur. Nam & ipſe B. Thomas à perſpicua ratione impulſus;in hunc modum ſcripſit. Eſt.n.liber vitæ, conſcriptio ordinatorum in vitam æternam. Ad quam ordinatur aliquis,ex duobus, ſcilicet ex prædeſtinatione diuina; (& hæc ordinatio NVNQVAM deficit) & ex gratia.Quicunque.n. gratiam habet;ex hoc ipſo dignus eſt vita æterna. Et hæc ordinatio deficit INTERDVM, quia aliqui ordinati ſunt ex gratia habita ad habendum vitam æternam;à qua tamen deficiunt per peccatum mortale. Hæc ille. Quid iis verbis clarius,quid potentius? Quòd verò hæc non conſtent cum iis quæ alibi idẽ ſanctus Doctor tradere videtur;quid putamus eſſe in cauſa, niſi vim veritatis, quæ ſæpe ſua ſponte manat? Quin illud etiam conſidera,quòd nemo thomiſtarum hæc legendo offenſus eſt:quod aliam ob cauſam eſſe non poteſt,niſi quia ex ſe ipſa veritas non offendit. Concludo igitur, etiam fauente mihi B. Thoma, nihil eſſe abſurdi ponere nonnullos præter prædeſtinatos, etiam de facto ſaluari.

Prima par. quæſt. 24. art. 3.

Nota

Sed redeo nunc ad priorem quæſtionem qua quærebatur, Quid eſt quod Deus quoſdam prædeſtinet,quoſdam uerò reprobet? Et reſpondens dico,Si voce reprobationis intelligamus voluntatem æternaliter puniendi; malè poſita eſt quæſtio,quia quærit cauſam eius quod non eſt,falsò illud eſſe ſupponens.Et ſimiliter ſi ſic ponitur,Quare quoſdam erigens prædeſtinet, & alios dimittat in maſſa, ſcilicet,illa perditionis? Fit.n.mala diuiſio,& non per oppoſita,& ſupponitur falſum, videlicet, quòd Deus quenq̃ reprobet,aut reiiciat,aut in maſſa perditionis relinquat,ex hoc ipſo quòd non prædeſtinat:quod eſt contra innumerabiles ſanctæ ſcripturæ ſententias,vel illam Apoſtoli, Deus vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Eſt & explicita D. Thomæ ſententia,lib. 3. contra gentiles, cap. vltimo,qua tandem vult, Deum nulli hominum deeſſe quin paret cuilibet idonea media, quibus valeat ſibi comparare ſalutem. Velle igitur Deum ſaluos facere omnes, & velle in æternum damnare plurimos; hæc profecto ſimul

non conſiſtunt. Si ergo vox reprobationis,non damnationem ſignificet,ſed ſolum non prædeſtinationem; vt ſic fiat bona, magiſtralisq; (vt ita dicam) diuiſio,Hominũ alios eſſe prædeſtinatos, alios verò nõ prædeſtinatos, qui non propterea intelliguntur reiecti ac reprobati à vita æterna, ſed ſolum reprobati ab illo gradu prædeſtinatorum, qui non permittuntur in malo perſeuerare vſq; in finem, iſti autem permittuntur ſi velint;tunc in promptu reſponſio eſt ad quæſtionem omni roganti,vt nequeat vllus contra hiſcere.

Roganti ergo cuilibet, Quare illos prædeſtinat Deus? Reſpõdetur, quia bonus eſt Deus,& vult illis eximia huiuſmodi dona largiri,& nõ cun»ctis. An oculus tuus eſt nequã,quia ille bonus eſt?Roganti aũt præterea, Quare alios non prædeſtinauit? Reſpondetur, inepte rogari hoc. Impoſſibile eſt.n.oẽs eſſe prædeſtinatos: ſiquidẽ prędeſtinatio hoc importat quorũdam electionẽ prę aliis.Quòd ſi pergas, Cur illos potius,& nõ me?Obiicitur tibi,An quia illos prędeſtinauit, ideo quicquam tibi ſuſtulit tuũ? Scilicet quia in illum ſublimiorem gradũ te nõ euexerit,qui gradus nõ erat omnium,ſed paucorum? An non audis etiam à pagano homine te reprehendi qui in hunc ſenſum dixit:Pauci quos ęquus amauit Iuppiter. Non quod voluerit omnino excludere alios ab amore æqui Iouis; ſed quòd non ad eandem menſuram omnes admittat. An non etiam cogitas à rerum natura iſtam confutari cogitationem,& ab omni humana ac ciuili prudentia compeſci? Ecce in vno corpore, nunquid non ſunt membra varia,& aliis alia, natura,præſtantiora? Vnde & variæ operationes, aliæ aliis digniores. Sic etiam in officiis reipublicæ nunquid non ſunt patritii plebeis honorabiliores? Et magiſtratus alii aliis ſublimiores? Nonne & in familiis eſt paterfamilias,& vxor?Nonne ſunt liberi,ſerui,boues,iumenta? Cur hæc in ſtatu gratiæ non ſeruaſſet Deus?Nec tamen vllus quanuis plebeius, de ciuitate eiicitur propterea quia non ſit patritius. Sicut & in corpore, nunquid aliquod corporis
1.Cor.12. membrum non erit de corpore,quia nõ eſt oculus,vel auris,aut manus? Et ſimiliter in ædibus magnis,nunquid ſunt omnia vaſa aurea,vel argen
2.Timo.2. tea? Imò & fictilia, & lignea: & his omnibus Dominus opus habet, & vnumquodq; habet honorem ſuum.Sic & in ædibus eligũtur fundamenta,columnæ, lapides angulares;nec propterea cæteri lapides & lateres ab ædificio reprobantur. Sic non prædeſtinati,& ſi non illam prædeſtinatorum gratiam & prærogatiuam habeant; non tamen ab ipſa ſalute repelluntur,ſi boni æmulatores fuerint. Ecce regnum cœlorum comparatur patrifamilias,qui ſeruis ſuis varia commendat talenta, vt negotientur & lucrentur per illa:& cuidam dedit quinque,alii vero duo, alii vero vnum.Non igitur æqualia ſingulis,ſed plus alii,quàm alii.Nec propterea excuſatur otioſus ille, qui non ſe exercuit per talentum illud, quia vnum fuerat:ſed obiicitur ei in faciem quòd potuit illud numulariis credere,& recipere cum fœnore. Sic omnibus datum eſt vt valeant regnum cœlorum acquirere,licet non omnibus datum vt non valeant

ab eo excidere. Hoc.n.eſt tantum prædeſtinatorum,& illorum paucorum,ita vt nec voluerit Dominus omnes apoſtolos tales eſſe, vt omnes tremerent,ac cum timore ſalutem operarentur. Vnde dixit:Beati eſtis Philip.2.
ſi feceritis ea.Non de omnibus dico:ſcio quos elegerim. Iudas ergo nō Ioan.13.
erat ex illis electus,vt confirmatus inueniretur in beatitudine: qui tamē poterat manere ſi voluiſſet. Sed Dominus iam ſciens illum factum Diabolum;ſecundum ea,quæ certo videbat,eo modo locutus eſt,tanq̄ eſſet iam extra ſpem. Vnde ait:Sed vt adimpleatur ſcriptura. Nec propterea violabatur ei liberum arbitrium,quo poterat pœnitere, quando nondum ſubtractum ei erat auxilium diuinæ gratiæ.

Summa huius doctrinæ in quatuor concluſiones.

Ex his ergo iam poſitis,& in alio libro noſtro quā robuſtiſſimè confirmatis; poſſunt elici nonnullæ concluſiones de prouidentia Dei erga nos & ſalutem noſtram;& de euentis ipſis,quantum pertinet ad rem propoſitam,quas in aliis libris expreſſi,& quæ (niſi vehementer fallor) ſunt fideles,& omni acceptione dignæ.

I Prima eſt, quòd in prouidentia & prædeſtinatione Dei,eſt certus numerus prædeſtinatorum,qui certò ſignati ſunt ad ſalutem, & ille valde paucos complectitur,ſi cum cæteris comparentur,qui non ſunt in hunc gradum euecti,vt B. Auguſtinus docet,imò Dominus ipſe aiens: Multi ſunt vocati,pauci verò electi.

II Secunda concluſio eſt,quòd in præſcientia Dei, quæ coexiſtit omni tempori, certus eſt numerus omnium qui ſalui erunt, quotquot erunt, etiam in ſignata materia:& de hac nemo catholicus dubitat.

III Tertia concluſio mea eſt, quòd etſi numerus prædeſtinatorum, in prouidentia & prædeſtinatione Dei ſit certus; & ſimiliter numerus eorum qui ſaluabuntur certus ſit in præſcientia Dei,cui nihil,etiam nobis futurum,abſconditum eſt,(quoniam præſens eſt illi oculo æterno omne tempus,& quæcunq; in quouis tempore) tamē ipſe numerus eorum qui ſaluabuntur,non eſt determinatus ac certus in prouidētia Dei, pro eo tempore quo adhuc ſunt in via. Quare ſecundum hanc Dei prouidentiam,pendet ſalus eorum à poteſtate liberi arbitrii, quæ in non prædeſtinatis poteſt deficere:quoniam & ſi Deus velit omnes ſaluos fieri;non tamen ita vult vt hoc omnino futurum ſit,niſi etiam ipſi velint. Vult ergo in hoc,quia ex parte ſua nulli deeſt, dans cunctis idonea media, & remedia, quibus perduci poſſint ad gloriam,licet non omnibus ſubminiſtret in ea abundantia vt non poſſint excidere, ſicut facit prædeſtinatis,vt dictum eſt.

Hanc autem meam concluſionem,qua dico in Dei prouidentia nō eſſe determinatum numerum eorum qui ſaluabuntur, quidam ſunt ad-

mirati. Et ego inuicem eorum admirationem admiror. Nam oppoſitum dicere, videlicet, quòd Deus in ſua prouidentia, ſecluſa præſcientia ſua, habeat certum nůmerum etiam ſignatum ſecundum materiam, eorum qui peruenturi ſunt ad ſalutem, vt nec augeri poſſit, nec minui; non eſt aliud quàm dicere, quòd nullus, præter eos qui ſaluabuntur, potuerit ſaluari ſecundum diuinam prouidentiam: Et præterea, quòd nullus eorum qui ſaluabuntur; potuerit, ſtante illa prouidentia, non ſaluari. At hoc eſt cõtra innumeras ſcripturas & quàm manifeſtiſſimas, ſicut in alio libro latius ſum proſecutus. Nam ſi verum id fuerit; non cuiq; pro peccato ſuo pœna inferni erit priuatio regni cœleſtis, ad quod in Dei prouidentia nullo modo erat ordinatus. At hæc vera eſt pœna inferni. Et nullus item inuenietur in paradiſo, qui potuerit amittere ſuam ſedẽ.
» Et male beatificabitur, qui potuit tranſgredi, & non eſt tranſgreſſus, & facere mala & non fecit. Et fruſtra dicitur cuidam, Tene quod habes, ne alius accipiat coronam tuam. Et Cain illuſus fuiſſet à Deo dicente illi: Nonne ſi bene egeris recipies? Et Moſes per iocum dixiſſet: Teſtes inuoco hodie cœlum, & terram, quòd propoſuerim vobis hodie vitã & mortem, benedictionem & maledictionem: Elige ergo vitam &c. Et ſimiliter Eccleſiaſticus: Ante hominem vita, & mors: bonum, & malum: quod placuerit; dabitur illi. Et falsò ponerentur cum numero prędeſtinatorum, qui non eſſent prædeſtinati: quoniam non eſſet eis, in Dei prouidentia, deſtinata patria. Contra quod eſt oratio Eccleſiæ orantis vt nomina omnium fidelium liber prædeſtinationis aſcripta retineat. Certum autem eſt, quòd non omnes fideles ſunt prædeſtinati, licet conſcripti ſint cum prædeſtinatis, potentes tamen deleri. Et deriſoriè omnes non prędeſtinati vocarentur ad fidem & militiam CHRISTI. Et in vanum daretur eis gratia in ſacramentis. Et deriſoriè promitterentur eis dona cœleſtia ex parte Dei. Et iniuria conquereretur Deus aduerſus eos, dicens: Vocaui & renuiſtis. Hæc & alia innumera abſurda ex hoc dicto ſequuntur, vt demirer ſtupiditatem (dicam apertè ac liberè) multorum, qui circa hoc non habeant intellectum reſolutum, ſed ita aberrent, vt expeditiſſime de multis, dum hic ſunt in via, cõcedant quòd poſſunt ſaluari, & poſſunt damnari, conſiderata Dei prouidentia ſuper illos cum ſua ſimul ipſorum arbitrii facultate; & nihilominus conſtituãt numerum certum in prouidentia Dei, eorum qui ſunt ſaluandi. Hæc. n. ſimul non cõſtant, poſſe ſecundum Dei prouidentiam multos ſaluari & non ſaluari; & cum hoc, eſſe numerum certum in prouidentia Dei ſaluandorũ. Nam poſſe multos ſaluari & non ſaluari; idem eſt quòd non eſſe certum vtrũ ſaluentur. At hoc eſt quod aſſerui, videlicet, in Dei prouidentia non eſſe certum numerum ſaluandorum, id eſt, eorum, qui a Deo diſpoſiti ad ſalutem, conſequuturi ſunt illam. Nam cùm plurimi ſint diſpoſiti; multi tamen non conſequuntur.

Eccleſiæ autoritas.

NOTA

Quarta ergo etiam fuit mea concluſio, quòd non eſt abſurdũ concedere (nam & hoc veriſſimum exiſtimo) quòd ex innumeris qui non

Nota

ſunt in eo gradu prędeſtinationis, quem declarauimus iuxta intellectum ſcripturarum, & B. Thomæ, & B. Auguſtini & aliorum qui rectè ſentiūt; multi ſalutem adipiſcantur. Et hanc etiam concluſionem nonnulli ſunt admirati. Quorum admirationem multo ego magis admirarer, ſi rem exactius, conſiderantes, etiam pergerent admirari. Scio quòd hæc non audierunt in ſcholis, & idcirco admirantur vt nouum ſibi. At ſi de ſcripturis ac rationibus manifeſtis ſapere vellent, imò ex principiis quæ didicerunt ipſi in ſcholis; omnis eorum proculdubio (periculo meo dixerim) ceſſaret admiratio.

Eho magiſter, rogo te, benignè audi. Quæro.n. abs te: Si hoc mihi dederis, quòd Deus in ſua prouidentia velit etiam non prędeſtinatos fieri ſaluos, & conſequenter idonea media illis parauerit ad ſalutē, & quòd illi habeant poteſtatem non recuſandi ſicut & recuſandi; vt ſic poſſint obtinere ſalutē ſicut & amittere; qua fiducia tu, & qua ſermonis conſtantia poteris mihi aſſerere, quod nullus taliū fiat ſaluus, ſed omnes recuſet ſalutem? Nunquid.n. hoc ſequitur ex præmiſſis allatis de prouidentia Dei, & libero hominis arbitrio? videlicet, ex hoc quod homini ſatis ſit prouiſum ad ſalutem; hoc tu tandem educis, quòd non aſſequatur ſalutem? Quid ſi ego hoc in loco exclamarem? Dic mihi obſecro rurſus, quiſquis es o meus admirator, nonne ſunt duo iſti ordines in Dei prouidentia, videlicet, prædeſtinatorum, & non prædeſtinatorum? Nonne hunc ordinem non prædeſtinatorum Deus ordinauit ad vitam, volens etiam omnibus ſalutem? Hoc.n. iam euictum puto. Ad quid.n. venit filius Dei in hunc mundum, niſi vt ſaluet mundum, & non ſolum prædeſtinatos? Dei ergo hanc voluntatem in hoc gradu non prædeſtinatorum, putare potes penitus eſſe fruſtrandam? vt nullus eorum, in tanto præſertim tanq; innumerabili numero, veniat ad ſalutē, Deo illam omnibus offerente, & quolibet habente facultatem? Nunquid potes mihi in naturalibus exemplū ſimile inuenire in his quæ ſe habeant ad vtrumlibet euentum vt valeant euenire & non euenire, idq; in ingenti multitudine, & in omnibus ſæculis, nunquam tamen contigerit euentus in vllo? Si hoc mihi exemplum oſtenderes, nonne ego merito admirarer? Et tu cùm hoc oſtendere non poſſis; nunc admiraris quòd ego in eo ordine, ſub quo innumerabiles omnium ſæculorum animæ concluduntur, quæ non ſunt prædeſtinatæ; exiſtimem ſaluari nonnullos, quos fateris ipſe poſſe ſaluari? An non tu logicus es? Et valde. Et nihilominus quaſi abſurdum accipis, ſi quod eſt poſſibile, ponatur in eſſe. Et hoc eſt quod quidam in meis dictis admiratur, videlicet, quòd ego credā in multis de facto contingere, quod & in innumeris poſſe cōtingere, nullus niſi proteruus negare mihi poteſt. Dicam iterum, vt audiat meus admirator, & fiat mihi, depoſita admiratione, cenſor æquus. Quia.n. ex infinitis numero, qui poſſunt ſaluari in ordine vno, quod ſunt eis remedia idonea ad ſalutem à Deo parata, ego exiſtimo nonnullos ſaluari; ob hoc reprehendor. At ego putarem eum dignum eſſe reprehenſione, qui putaret

quenq̃ ſaluum fieri, qui ſaluus fieri non poſſet: non autem qui putarit ſaluum eſſe aliquem,qui potuerit eſſe ſaluus.Quamobrem hoc ipſo ſolum quòd expoſui cauſam reprehenſionis meæ;puto meas partes optimè eſſe defenſas.

Verum vt etiam acrius diſputem,ſi quis proteruire præſumat, o homo qui putas neminem eorum prorſus obtinere ſalutem, qui prædeſtinati non fuerint,obſecro te,loquere ex prudentia, & non effutias: Vnde accipis id quod putas, imò id quod etiã aſſeris? Confiteris.n.quòd poſſunt omnes ſaluari,paratis idoneis ad hoc illis mediis; & tamen aſſerere audes,quòd nemo ſaluetur,& tam confidenter audes. Sed vnde tua hæc tam ſecura aſſertio,vir prudens?Cogeris.n.reſpondere,(ſi vis ingredi diſputationem) & reddere rationem dicti. Fateris.n.rem eſſe grandem,paradoxum admirandum,quòd cùm dixerim eſſe innumerabiles valentes obtinere ſalutem;tamen aliquem horum illam obtinere. Tu.n. neminem obtinere putas,poſſe tamen quemlibet.De potentia ergo conuenimus:tu eam fruſtraris, ne in actum procedat. Vnde hoc reſciſti? Quis tibi reuelauit? quòd ſi dixeris te hoc à Dei prouidentia habere; ſtatim redargueris vel ex hoc poſito & ſtabilito,quòd ſecundum prouidentiam ſuam,Deus vult omnes homines ſaluos fieri, ſaltem multos ex eis,qui non ſaluantur. Si autem dixeris,Habeo hoc à præſcientia Dei, quia ſic præſciuit Deus;tunc oportet te hoc nobis oſtendere. Nã quod præſciuit Deus futurum contingens; ex ſola eius reuelatione habetur. Reuelatio autem hæc vel à ſcripturis accipitur, vel tua eſt particularis. Si tua ſit; nihil moror. Sed, obſecro,ſinas nos patienter neſcire quod Deus noluit nobis reuelare,& tu gaude,& fruere reuelatione tua,aut ſaltem cura vt & nobis reueletur. Sin autem in ſcripturis habes; oſtende illam nobis, & concedemus tibi in hoc. Et tamen nõ minus illud erit verum quod diximus,videlicet,quòd in prouidentia Dei nõ ſit difinitus certus numerus ſaluandorum:quoniam tu ex præſcientia,non ex prouidentia,hoc aſſeris quòd nemo ſaluetur ex eo ordine. Nam ſi certus in prouidentia Dei proponitur numerus ſaluandorum, vt nec augeri poſſit,nec minui;proculdubio duo grandia conſequentur abſurda,quę nemo ſanus queat admittere. Primum,quòd quicunq; ſalui fiunt,ita ſalui fiunt;vt nullus eorum queat excidere à ſalute.Alterum, quòd quicunq; damnantur,ita damnantur;vt euitare damnationem nõ valuerint:quod eſt nouorum hæreticorum dogma impium,crudele,nephandum.

Ad hæc,ſi multi etiam non prædeſtinati vocantur ad gratiam,& per gratiam ad ſalutem;& fateris poſſe vtrumq; ab eis obtineri; cur quæſo concedis multos eorum obtinere gratiam,& cum hoc negas vllum obtinere ſalutem? Cùm,teſte B. Paulo,difficilius ſit,quod ad Deum pertinet,reconciliari inimicum per mortem CHRISTI, quàm iam reconciliatum & amicum factum,obtinere ſalutem. Rom.5.

Verùm non me latet,id quod nos oportebat ſincere intelligere, ac tenere mordicus,videlicet,quòd DEVS VELIT OMNES HOMINES

SALVOS

SALVOS FIERI ET AD AGNITIONEM VERITATIS VENIRE; à nonnullis, extraneis quibuſdam gloſſis, alterari & inſici; vt hoc ſolum ad prædeſtinatos reſtringant. Sed quàm coactè, & durè; ego alibi puto ſatis clarè me oſtendiſſe. Nec ignoro B. Auguſtinum illud aliquando ſenſiſſe, quòd nulli hominum queant, niſi prædeſtinati, ſalui fieri, qui ſoli donum illud perſeuerantiæ accipiunt: quo fit vt nō ſolum perſeuerare poſſint ſi velint; ſed vt omnino velint & perſeuerent: quod eſt prædeſtinatorum proprium. Et tamen ipſemet in eiſdem locis concedit, aliquos non prædeſtinatos poſſe, ſi velint, perſeuerare. At hoc eſt conſequenter poſſe ſaluari: quod ipſe negarat. Quamobrem cum omni reuerentia, quæ tanto viro debetur, cui librum portare ad ſcholas non me facio dignum; auſim dicere, (illo etiam probante) quòd in eo prædeſtinationis articulo, cùm talia profert; non eſt ſuſtinendus. Nam & multos & magnos viros, omnes videlicet Galliæ Epiſcopos, ex eius circa hác rem diſputationibus, occaſiones ad ſcandalum accepiſſe; teſtes ſunt Hilarius, & Próſper in epiſtolis ad illum. Et certè ipſe fuit occaſio multarū diſputationum, quæ non fuiſſent neceſſariæ, ſi hoc ipſum ſolum remoueatur, quod ille viſus eſt ponere abſq; vlla neceſſitate, videlicet, quod ex eo quòd quis non fuerit prædeſtinatus; protinus intelligatur reprobatus, ea ſcilicet reprobatione, quæ certam habeat damnationem gehennæ. Et manifeſta deceptio in hoc eſt: quoniam & ſi ad eſſe prædeſtinatū ſequitur non poſſe non ſaluari; non propterea ad eſſe non prædeſtinatum ſequitur non poſſe ſaluari. Quoniam de nō prædeſtinato verum eſt eum poſſe non ſaluari, & propterea falſum eum non poſſe non ſaluari: quod tamen de prædeſtinato verum eſt. Et nihilominus etiam verum eſt, de non prædeſtinato, eum poſſe ſaluari: quia ad poſſe non ſaluari, minimè ſequitur non poſſe ſaluari. Nec item ſequitur non ſaluari de facto: vt ex regulis logicæ pluſquàm manifeſtum eſt ex Philoſopho. Quare ſic ad non eſſe prædeſtinatum conſequitur nō eſſe ſaluum; ſicut ad non eſſe Coruum conſequitur nō eſſe nigrum animal. Hoc autem non conſequitur. Et propterea ad non electionem, illam eximiam & fauorabilem, quæ eſt prædeſtinatorum, non ſequitur reprobatio cæterorum à vita æterna, ſed tantummodo reprobatio illorum ab illo gradu electionis. Sed poteſt eſſe, & nihil prohibet eſſe, (quoniam reuera ſic eſt) alius gradus ordinatorum in æternam vitam, in quo eſt facultas ad ſalutem: licet non tanta, quanta eſt in prædeſtinatis, qui non queunt à ſalute excidere.

1. Timo. 2.

Nota

Nota

Illam tamen fallaciam in quam iſti impingunt, Tertullianus etiam incurrit. Cauillatus. n. in gentes quòd haberent ſelectos Deos; paulo argutior dixit: ſi Dei ſeliguntur vt bulbi; vtiq; cæteri reprobi iudicantur. Hanc autem ſequelam B. Auguſtinus acutè correxit, benignè tamen reprehendit, dicens: Hoc magis facetè dictum quàm verè. Video. n. (ait Auguſtinus) ex ſelectis ſeligi aliquos ad aliquid maius atq; preſtantius: ſicut in militia cum tyrones electi fuerint; ex his quoq; eligūtur ad opus

Lib. de Ciui. Dei cap.

» aliquod maius armorum:& cùm eliguntur in Eccleſia qui fiant præpoſi-
» ti,non vtiq; cæteri reprobantur,cùm omnes boni fideles meritò electi
» nuncupentur. Eliguntur in ædificio lapides angulares,non reprobatis
» cæteris, qui aliis ſtructuræ partibus deputantur. Hæc ille acutiſſimus doctor:& his ſimilia plura,quæ vtinam in re propoſita, illi occurriſſent: profectò non creaſſet tantas anguſtias multis,quæ de hac vna ſola fallacia deſcendunt,dum arbitramur,præter prædeſtinatos, & eo modo electos;neminem poſſe ſaluari:quod ille nonnunquam dixit:vel ſi poſſit ſaluari;non tamen de facto ſaluari:quod plurimi incautè recipiũt.Non enim à ſcripturis teſtimonium habet:imo & validiſſimis argumẽtis euertitur, atq; ipſarum ſcripturarum ſententiis euidentiſſimis. Quo circa, multa exorta ſunt ab hoc errore à doctoribus preſertim ſcholaſticis,adeò obſcura & perplexa;vt etiam meritò videantur inexplicabilia. Propterea non inutile cenſui,ad ea diligentius ſtudium ac meditationem demittere,vt quæ bene & conſequenter dicuntur; excipiantur atq; probentur: quæ vero non;reiiciantur.

Quæ conſequentiæ de prædeſtinatis, aut reprobatis, ſecundum veram logicam admittendæ vel concedendæ ſunt, aut negandæ.

PRimò igitur de prædeſtinatis,quum quæritur, Vtrum prædeſtinati poſſint damnari;reſpõderi à ſcholaſticis ſolet,poſſe damnari, ſi hoc in ſenſu diuiſo accipitur,nõ autem in ſenſu compoſito,vt ſit neceſſitas conſequentiæ,non conſequentis:vel ex ſuppoſitione, & non ſimpliciter. Verum quoniam facile eſt multis ſic dicere labiis,& non intelligere quid ipſi dicant; explicanda hæc ſunt latius. Et primo explicandus eſt iſte ſenſus diuiſus,ſecundum quem ponunt hanc poſſibilitatem. Eſt autem exemplum vulgare:Album poteſt eſſe nigrum. Si.n.propoſitio hæc ſumatur in ſenſu compoſito,qui eſt,quòd fieri poſſit vt album, exiſtens album,ſit nigrum;falſa eſt. Sin autem ſic in ſenſu diuiſo, diuidendo ſcilicet ſubiectum à ſua forma,quòd id quod eſt album,poſſit eſſe nigrum,id eſt,euadere in nigrum;tunc erit vera:quia aliquid quod eſt album,abiecta albedine,poteſt fieri nigrum:poteſt autem abiicere albedinem ſuam, & de facto ſic alterari vt ſit nigrum:& iccirco poſſibile dicitur eſſe nigrum. Quòd ſi id quod eſt album non poſſet ſuam albedinem abiicere,vt eſt exemplum in niue; tunc nec eſſet ſenſus diuiſus, in quo poſſet concedi album poſſe eſſe nigrum. Vnde abſolutè hæc eſt falſa,Nix poteſt eſſe nigra. Item hæc,Ignis poteſt eſſe frigidus. At hoc profectò contingit in caſu noſtro: quia poſita iam prædeſtinatione firma à Deo,vt ponitur;non poteſt quouis modo ſeparari conditio prædeſtinationis à prædeſtinato: & conſequenter non poteſt concedi in

vllo ſenſu etiam diuiſo,quòd prædeſtinatus poſſit damnari,quum non poſſit deſinere eſſe prædeſtinatus. Quòd ſi hoc negatur;abibo.Quid.n. hoc manifeſtius?Quęro.n.in cuius ſit poteſtate vt prædeſtinatus non ſit prædeſtinatus.Certè non Dei,quia quod tranſiit in præteritum; non eſt in eius poteſtate:& quod ab eo eſt deliberatum vt ſit;nõ poteſt non eſſe. Quòd ſi dicitur eſſe in poteſtate ipſius prædeſtinati vt ſit non prædeſtinatus: (nam & in poteſtate non prædeſtinati eſſe aſſeritur vt fuerit prædeſtinatus) quid, rogo,dici poteſt abſurdius? Si.n. Deus antequam quicquam ego boni fecerim aut mali,ſuo certo propoſito,pure ac ſimpliciter,me ordinauit ad vitam;quis ego ſum vt queam hoc eius propoſitum extinguere,vt ſi fuit,non fuerit;aut ſi fuit deſinat eſſe? Cum hæc vocatio & dona,quæ ex prædeſtinatione ſunt,ſine pœnitetia ſint, vt ait Apoſtolus. Tenent Thomiſtæ,quòd hæc copulatiua eſt impoſſibilis,videlicet,Sortes nunc non eſt prædeſtinatus, & prius erat prædeſtinatus. Et hæc item impoſſibilis: Sortes nunc eſt prędeſtinatus;& quandoq; non erit prædeſtinatus. Et ſimili modo hæc impoſſibilis: Aliquis deſinit eſſe prædeſtinatus. Et hæc: Iſte incipit eſſe reprobatus. Et cum his tamen dicunt,eſſe poſſibile prædeſtinatum damnari. At hinc conſequenter infertur,poſſibile eſſe prædeſtinatum aliquando eſſe reprobatum,vt ſit illa vera:Iſte incipit eſſe reprobatus.Et illa:Iſte deſiit eſſe prædeſtinatus. Et ſimiliter ſuperiores quas conceſſerunt,ſimpliciter eſſe falſas.Verum eſt ergo,ſi hanc horum doctrinam ſequimur;quòd ſunt hæc inexplicabilia. Concedunt inſuper & hanc veram de prædeſtinato:Iſte iam prædeſtinatus poteſt non eſſe prædeſtinatus.& tamen de eo quod eſt album,non concedunt,Hoc poteſt non fuiſſe album. Quod dictum cum ſua ratione; quàmuehementiſſimè admiror.Aiunt.n. Quia id quod eſt album tranſiit in præteritum (de eo.n.quod eſt modo album,verum eſt quòd fuit album) ideo conſtituitur abſolutè impoſſibile quòd non fuerit album,quia circa præteritum non eſt potentia. Actus autem prædeſtinationis,cùm menſuretur æternitate;nunq̃ cadit in præteritum, ſicut nunq̃ eſt futurus:ſed ſemper conſideratur vt egrediens à voluntate Dei ꝑ modũ libertatis:& ideo ſemper eſt potentia in Deo vt non ſit.Hęc illi.

Sed hoc eſt mirabile quod dicitur de prædeſtinatione, quod non tranſeat in præteritum. Si.n.ita eſt;falsò ergo dicitur aliquis prædeſtinatus,quia eſt participium præteriti temporis:& quòd Deus prædeſtinauit Petrum: contra verbum Apoſtoli, qui ait: Quos prædeſtinauit; »
hos & vocauit. Imò vt declararet prædeſtinationem in præteritum ca »
dere,dixit,quod prædeſtinati fuerunt ante conſtitutionem mundi.Cer »
tum eſt autem conſtitutionem mundi in præteritum tranſiſſe. Quod ſi dicas,Non propriè loquitur ſcriptura de Deo, nec.n.poteſt, & certum eſt quòd in Deo non cadit verè præteritum nec futurum: Reſpondeo, quod non propterea quæ ſunt in mente Dei & menſurantur æternitate,minus habent neceſſitatis:imò propterea in ſcripturis per præteritũ ſignificantur, vt intelligamus ex voluntate Dei ſic eſſe, nec poſſe aliter

eſſe. Nec.n.dicimus Deus prædeſtinat Petrum,ſed,prædeſtinauit. Sicut nec dicimus,Deus creat mundum,ſed,creauit:& iam impoſſibile redditur non creaſſe.

Et per hæc mihi videntur falſiſſima & abſurdiſſima, quæ conceduntur à quibuſdam, puta illud; Prædeſtinatus poteſt taliter facere, quòd ipſe nunq̃ fuerit prædeſtinatus,licet non poſſit mutare ſuam prædeſtinationem. Quis hæc intelligat:aut quis ea cogitans poſſit admittere abſq; cerebri euerſione? Et illud dictum,quis ferat? Prædeſtinatio alicuius patitur ſecum in prædeſtinato potentiam moriendi in peccato mortali,non tamen compatitur actum vel euentum illum. Vide acute lector quid iſti dicant. Prædeſtinatio.n. includit ordinationem Dei, ex propoſito omnino volentis prædeſtinato ſalutem. Hoc autem quo pacto ſtare poteſt cum Petri potentia moriendi in peccato mortali? ſiquidem potẽtia Petri peccandi finaliter,repugnat ordinationi Dei, quę eſt in prædeſtinatione vt non peccet finaliter,ſed iuſtificetur,& finaliter maneat in iuſtificatione. Quòd ſi dicas, Conſidero Petrum in ſe,ſecluſa ordinatione Dei:quomodo dicis,prædeſtinatio compatitur illam potentiam? Hoc certe non eſt conſiderare Petrum ſecluſa prædeſtinatione,ſed cum prædeſtinatione:cùm prædeſtinationi dicis non repugnare illam potentiam. Præterea,ſi ſic Petrum conſideras,pro vt eſt ex ſe, ſecluſa prędeſtinatione,ſcilicet,aptus perſeuerare in peccato mortali;profecto non ſolum poteſt concedi potentia peccandi finaliter, ſed & ipſe actus:& nihil abſurdi conſequitur. Et reuera, ſi potentia admittitur, quid prohibet & actum admitti? Non quod omne quod poteſt eſſe,ſit; ſed quòd nihil prohibet id admitti eſſe, de quo admittas quòd poteſt eſſe,ſecundum ſe conſideratum,vt Philoſophus ait. Quòd ſi conſideres cum Petro prædeſtinationem;ſicut tollis actum peccandi finaliter, quia non poteſt ſtare cum prædeſtinato; ita & potentiam tollis. Nam ideo tollitur actus,quia potentia tollitur. Cogita hæc acute lector, & noli proteruire.

Dicet autem fortaſſe hic mihi aliquis, Præſcientia Dei, puta de Iuda, quòd eſſet CHRISTVM proditurus,ac per hoc damnandus;nonne compatiebatur potentiam Iudæ ad non prodendum,& cõſequenter ad non incurrendam damnationem? Et tamen exitum non compatiebatur & actum non prodendi,& ita non incurrendi damnationem:ac propterea non ſequitur continuò,ſi quid compatitur potẽtiam;compatiatur & actum. Reſpondeo,Dei præſcientiam,de qua eſt ſermo, nihil ponere in rebus ſuper quas ipſa præſcientia cadit: & iccirco præſcire Deum Iudam proditurum CHRISTVM, nihil confert ad eam proditionem,quæ tantum pendebat à libero arbitrio Iudæ:qui certè antequam traderet;habebat potẽtiam ad non tradendum: nec.n.Deus ipſe prohibuiſſet eam potentiam non prodendi CHRISTVM quin exiſſet in actum,ſi ipſe non prodere voluiſſet.Poterat ergo antequàm eligeret, & firmaret proditionem;oppoſitum elicere,etiam ſtante Dei præſcientia:

quia præſcientia Dei de Iuda, etiam ſuper hoc erat, quòd poterat non prodere, & illi potentię nihil penitus detrahebat, neq; pertinebat ad cauſam proditionis præſcientia. At prædeſtinatio, quæ eſt cauſa ſalutis, aufert de potentia prædeſtinati ad peccandum aut perſeuerandum in peccato finaliter: ideo ſecum eam potentiam nullo modo compatitur. Vnde eſt differentia magna & manifeſta, quod ad hoc attinet, inter prædeſtinationem & præſcientiam: quæ differentia facit vt in nullo ſenſu ſit vera hęc: Prędeſtinatus poteſt damnari: ſicut eſt illa vera: Præſcitus damnari, poteſt ſaluari, quam differentiam miror multos non animaduertere. Quare B. Auguſtinus in libro de correp. & gratia cap. 9. manifeſtè dicit de prædeſtinatis, non ſolum quòd non pereunt; ſed quod nec poſſunt perire: auferens eam ab illis potentiam propter vim prædeſtinationis: quæ potentia non aufertur propter vim præſcientiæ, quæ ad cauſam ſalutis vel perditionis nihil attinet.

Amplius etiam dico, quòd quia præſcientia Dei extédebatur ad tempus illud, quum Iudas eligebat prodere, atq; ad illud etiam quum damnabatur; pro eo tempore illa præſcientia non compatiebatur potentiam in Iuda ad non prodendum, aut non incurrendam damnationem: quia ſtante illa firma eius electione prodendi; ipſe ſibi pręripiebat potétiam non prodendi: cùm dum quis prodit, impoſſibile ſit non prodere: & ita conſequebatur impoſſibilitas conſequendæ ſalutis.

Ex prædictis igitur & illud patet, male poſitum & conceſſum à quibuſdam, quòd non in vanum conatus eſſet Iudas facere opera, vnde ſequeretur ipſum fuiſſe prædeſtinatum. Quod dictum, etiam ſuæ ipſorũ poſitioni aduerſatur, qui aiunt prędeſtinationem ab operibus nullo modo pendere, nec ex operibus bonis prædeſtinationem ſequi, ſed opera ipſa bona, à prædeſtinatione venire. Non ſunt ergo inexplicabilia & irreſolubilia, quæ de prædeſtinatione à literis ſacris accipiuntur: licet ea quæ nonnulli ſcholaſtici ſcribunt & prædicant, plena ſint contradictionibus: vt ex parte oſtendiſſe arbitramur: quod & ex eorũ lectione, qui inuicem perpetuo pugnant, licet latius conſpicari.

Quòd ex præſcripta doctrina de prædeſtinatione, nihil abſurdi ſequitur, nihilq́; cauſæ animo prudenti ad perturbationem.

EX his autem hactenus diſputatis, vix aliquid video poſſe cuiquam in mentem venire, quo perturbetur, ſi quod mordicus eſt tenédum hoc ſtatuatur, quod ſcilicet, prædeſtinatio non excludat alios à ſalute: cùm reuera, ſi vim expendamus vocabuli, potius includat. Prædeſtinatio. n. dicit quorundã prę cæteris fauorem ad acquiſitionem regni, quo præcedunt eos in gratia, & beneficiis: vnde non ſequitur, quòd alij Nota

excludantur ab illa acquiſitione,ſed potius quòd includãtur,quibus illi anteponuntur. Nec id eſt abſurdum: Imo abſurdum eſſet,ſi non eſſent hi gradus in ordine gratiæ. Si.n.non eſſet gradus prædeſtinatorum, qui tanta gratia pollerent,vt non poſſent non ſaluari;magnum quid & pulchrum deeſſet in ordine gratiæ. Sed nos qui ſumus nequam, qui non inuenimur inter huiuſmodi electos;putamus eſſe acceptorem perſonarum illũ, qui non ſimiliter donat nobis ſicut aliis,ignorantes quod acceptio perſonarum,vt vitio dari poſſit,non in donis conſideratur,ſed in iudicio,& in debito,ſicut docent ſcripturæ ſanctæ.

Quid ſit acceptio perſonarum.

Poſito igitur hoc electorum gradu ac prædeſtinatorum, qui non poſſunt excidere;etiam ponendus eſt alius gradus eorum,qui poſſint & excidere,& ſimiliter poſſint non excidere:& propterea ipſi quoq; nanciſci queant ſalutem:qui gradus ſi deeſſet; etiam magna pars deeſſet vniuerſitati in ordine. Non autem erat benignitatis & prouidentiæ Dei dare vllum gradum vel ordinem damnationis, niſi ſuppoſito peccato: non dico illo Adæ,quod fuit expiatũ ſanguine CHRISTI; ſed cuiuſq; proprio:ſicut omnis bona mẽs deberet abſq; vlla dubitatione recipere.

Diuerſitas graduum in natura.

Hæc nos ipſa natura docere deberet,cùm tam varias videamus rerũ naturas, vnde totius vniuerſi tanta pulchritudo reſultat. Sunt.n.ſpiritus,& ſunt corpora. Et inter ſpiritus multæ ſunt & diuerſæ conditiones & gradus,vt ipſæ ſcripturę nos docent.Sunt ſimiliter & corpora,quę & ſummis,& magnis differentiis diſtinguuntur. Sunt.n.cœleſtia, & ſunt terreſtria: incorruptibilia, & corruptibilia: & in quolibet genere multi gradus,ſicut & in ſyderibus apparet. Vnum cernimus ſolem, & Lunam vnam, duo luminaria nobis magna. Cætera etiam inter ſe differunt. Stella.n.ſtellam,inquit Apoſtolus, ſuperat claritate. Similiter & in his quæ naturaliter contingunt & fiunt,ſunt quæ neceſſario eueniunt, ſunt & quæ contingenter: & in his etiam differentiæ. Nam quædam raro, quædam crebro, quædam æquè ad vtrumlibet ſe habere videntur. Sic ergo oportuit eſſe in eccleſia Dei. Nam de CHRISTO, quis inſanus dubitet eius prædeſtinationem fuiſſe eximiam ac perfectiſſimam, & poſt hanc illam ſuæ ſanctiſſimæ MATRIS? Quid autem prohibet voluiſſe clemẽtisſimum Patrem in gratiam Filii ſui ſeruare, imo dare hoc illi,vt ipſe ſibi ſeruaret plures præcipuos, & peculiares amicos, & (vt ita dixerim) Barones ſibi asſiſtentes ad decorẽ ſui Throni,& regalis ſolii, quos ſpeciali prærogatiua voluerit euehere,ac ſibi quaſi coniungere?quos in tunica illa inconſutili,& contexta deſuper, elegantisſimè licet ſpectare: quæ erat inſolubilis, atq; inſcisſibilis, & ſorte contigit vni: in quo vno intelliguntur hi omnes pręcipui electi,qui quodam modo velut vnus cẽſentur. Hæc eſt illa tunica, quæ hærebat carni CHRISTI, nullo pacto ſcindenda,vt quid ex ea perderetur. Neq; tamen alia indumenta, quæ ſuper tunicam adiiciebantur ipſi Domino, creduntur omnino abiecta eſſe;ſed potuerunt ſcindi,vt nonnulla pars aliorum veſtimẽtorum pertineret ad malignum,& ita perderetur;pars verò ſeruaretur, & cõpone-

retur cum tunica illa. Verùm hæc myſticè, quæ non omnes recipiunt. Sed abſq; allegoria, quis non recipiat in Eccleſia oportere eſſe gradus, & munera ipſa, & ſecundum hos gradus & munera, etiam dari gratiam? Vt Beatus Thomas egregiè declarat, & vnumquemque ſorte ſua debere eſſe contentum. Quæ enim mulier poſſet abſque impietate optare ſibi gradum Beatæ Virginis Deiparæ? Et quis virorum indiſcriminatim, gratiam Præcurſoris, & Apoſtolorum? Imò contra hanc arrogantiam noſtram ipſe DOMINVS ait: Cum inuitatus »
fueris ad nuptias; nō diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te »
ſit inuitatus ab illo, & veniens is qui te & illū vocauit, dicat tibi: Da huic »
locum: & tunc incipias cum rubore nouisſimum locum tenere. Sed qū »
vocatus fueris; vade, recumbe in nouisſimo loco, vt cùm venerit, qui te »
inuitauit dicat tibi, Amice aſcende ſuperius: & tunc erit tibi gloria co- »
ràm ſimul diſcumbentibus. Sed de his hactenus.

Confertur autoris doctrina cum reliquis.

VErum enimuero magnopere velim comparari hāc quam probamus ſententiam cum cæteris. Nos dicimus, quòd Deus, præter illos electos ac prædeſtinatos, etiam aliis prouidit ſufficienter de ſalute. Et aliqui dicunt, quòd præter illos prædeſtinatos; cæteri relicti ſunt in maſſa perditionis. Quæ, rogo, harum ſententiarum eſt magis pia, & commēdat magis pietatem & gratiam Dei, & gloriam CHRISTI, qui dicitur Saluator, & Redemptor OMNIVM? Cui dubiū eſſe poteſt, quòd illa, quæ prædicat gratiam offerri omnibus? Et tamen illi dicunt ſe prædicare gratiam, quam dum negant exhiberi plurimis; illam mirificè coanguſtant. Et in aliis articulis non ſolum extenuant, verum etiā immaniter conculcant, negantes effectum meritorum, qui eſt à gratia. Sed in re propoſita, hoccine, quæſo, eſt prædicare gratiam CHRISTI? velle ſanguinem illum (quod ad rem quidem attinet) effuſum fuiſſe pro quibuſdam tantum, & iis quidem paucisſimis præ aliis, qui relicti ſunt in maſſa perditionis? O ſi vere charitatem haberent iſti, qui ſe tamen ardere charitate ſimulant, & ponunt ſe arrogantisſime in numero prædeſtinatorum, ad quos certisſime pertineat hereditas, profectò flerent aſſidue tantam perditionem fratrum ſuorum, & vix vellent eſſe in numero illo beato, cæteris tam miſerabiliter, abſq; eorū propria culpa, abiectis. Nam multa alibi de peccato originali loquutus ſum, quæ magnis viribus frangunt, & conterunt iſtam opinionem, quæ minuit vigorem pasſionis CHRISTI, tanq̄ non deleuerit peccatum ipſum, ſed ſolum quoſdam ex eo peccato exemerit, vt propterea inobedientia Adæ ſuperauerit obedientiam CHRISTI. Hæc eſt opinio, quæ conſtituit Deum acceptorem perſonarum, & auarum miſericordiæ largiendæ. Nam ſoluto pretio pro illo peccato per CHRISTVM, & conſequenter pro NOTA

omnibus;velle aliquos hoc beneficio frui;& non pro omnibus eſſe comparatum;certè hoc eſt accipere perſonas in iudicio. Dices, At illi erant omnes peccatores,& non tenebatur Deus miſereri. Reſpondeo:Imo illud peccatum originale in nobis tale erat, vt mereretur miſericordiam, ſicut dicunt ſancti doctores,pluribus de cauſis. Præterea,illud fortè dici poſſet ſi Deus non ſoluiſſet pro peccato illo. Sed ſoluit, vt dictum

Act.10. » eſt. Et ideo B. Petrus dixit: In veritate comperi,quod nõ eſt acceptor » perſonarum Deus &c.

Ad hæc,illa opinio,qua meritò perturbatur animus piorum,& redditur irrequietus, iure illi ſententiæ poſtponi debet, quæ adfert animi quietem,& pacem. Modo quis non torqueatur cogitans ſe poſſe facile eſſe derelictum in maſſa illa,præſertim quòd tam innumerabilis numerus eſſe talium credatur,præ quo vix electi faciant numerum?Quis.n. ſecundum prudentiam auſit ſe in eo numero ponere, in quo tam pauci inueniantur? Et quis in hac animi cogitatione non torqueatur,& rumpatur viſceribus,ſi modo ſua ſalus ſit ei cordi,ac ſua expectatio æternæ mortis pauori ac terrori,imò & mærori ingenti? Sed aiunt quidam,Noli cogitare de hoc. At hoc eſt contra prudentiam, imo & contra ſcri-

Deut.32. » pturam,quæ ait:Vtinam ſaperent,& intelligerent, ac nouiſſima prouiderent. Alii verò dicunt,Præſume te eſſe vnum ex illis, qui ſunt electi. Sed hoc eſt dare verba,& conſulere vt ſimus imprudentes,& audaces. B. Auguſtinus vetat ne quis in eo ſe numero ponat,tanquam hoc ſit homi-

De correp.& gratia ca.13. nis arrogantis:quod & verum eſt. Hæc ſunt eius verba. Quis.n.ex multitudine fidelium,quandiu in hac mortalitate viuitur, in numero prædeſtinatorum ſe eſſe præſumat? quia id occultari opus eſt in hoc loco; vbi ſic cauenda eſt elatio, vt etiam per ſatanæ angelum ne extolleretur tantus colaphizaretur Apoſtolus. Hæc ille. Quòd ſi huius ſancti conſilium ſequimur,vt par eſt,ne præſumamus de prædeſtinatione; quantæ hinc animi anguſtiæ?

Ad hæc, nos dicimus, quòd quum neminem dereliquerit Deus, ſed omnibus voluerit,& parauerit ab initio redemptionem & ſalutem per CHRISTVM; multi eorum,qui relinquuntur in ſecũda claſſe ſaluãtur, quum ſaluari potuerint. Alii verò hoc negant,etiam aſſerentes, quod nemo præter illos prædeſtinatos ſaluatur, etſi concedant poſſe & hos non prædeſtinatos ſaluari. Nunc cenſor æquus videat hanc rem, & decernat. Nam hæc opinio quæ concedit poſſibilitatem ſalutis, factumq; negat; ſtultior videtur illa priore, quæ & ipſam poſſibilitatem negat. Nec magis conſulit homini prudenter de ſua ſorte cogitanti, quin in deſperationem feratur. Nam ſi non certo ſe ſtatuat in prædeſtinatorum numero,id quod facere arrogantiæ eſt, vt rectè D. Auguſtinus docuit;iam penitus de ſalute ſua deſpõdens animum deſperabit: quoniam

NOTA iuxta hanc doctrinam,etſi queat ſaluari;non ſaluabitur tamen. Fruſtra eſt.n.illa potentia,quæ in actum nõ prodit vnquam. Cõſidera hic pie lector qui æſtus,qui ſudor,qui horror occupabit miſerum hominem in

eam

eam cogitationem venientem & nullum ſolatium capientem de poſſibi litate ſalutis, cùm de facto ipſa ſalus illi penitus auferatur. Conſidera hæc inquam, & noli proteruire.

Quę cùm ita ſe habeant, vnum tamē ad huc reſtat, quod anſam prębet his, qui rumore magis quàm ratione mouētur. Aſſerere.n.ſicut ego facio, aliquos præter prædeſtinatos obtinere ſalutem; nimis audax, & abſurdum videtur: eò quòd nullus neq; veterum, neq; recētiorum id vnquam dixerit, ſed oppoſitum potius, quaſi dignitatem quandã, ſibi pręſtituerit. Verùm ſi huius rei cauſam diligenter quæſieris acute ac pie lector, & deprehenderis; (deprehēdes.n.facilè ſi attenderis) videbis profecto, videbis, & tanq̃ manu contrectabis, te hac parte non minus à veterum doctrina recedere, quàm nos: imò quod non ab ea receſſeris in hoc etiam quod manet in contentione; te quam euidentiſſimè peccare, certo cognoſces. Nam tu cùm eorum principia non teneas vnde illa educebatur concluſio, concluſionem tamen ipſam mordicus tenens; turpiter offendis in logicam. Quod vt planè conſpicias; quæſo attende.

Fuerunt olim qui dicerent, prædeſtinationem oriri à præſcientia bonorum operum: vt hos demum prædeſtinauerit Dominus, quos ante proſpexerit ſuis parituros eſſe mandatis. Hæc autem opinio communis ferè omnium veterum græcorum & latinorum fuit: quę licet pelagianum errorem non admitteret; hoc tamen habebat ſcrupuli; quòd aliter hanc vocem PRÆDESTINATIO accipiebant, quàm B. Auguſtinus ex Pauli doctrina tandem acceperit. Non.n.hæc exactè tractata prius erant, ſicut accidit aſſiduè in Eccleſia, vt aliquid poſtmodò venientibus ſeruaretur. Itaq; ſtante illa vocis acceptione, qua intelligebatur prædeſtinatio ſequi præſcientiam meritorum; fateor ſequi concluſionem hanc, videlicet, Neminem niſi prędeſtinatum ſaluari: quia nemo actualiter ſaluabitur; niſi cuius præſcita fuerint opera finaliter bona. At cùm iam nec ego, nec tu pie, ſi velis B. Auguſtini, & Thomæ doctrinam ſequi, eam poſitionem probes vnde concluſio illa educitur; cur probas concluſionem? Aut ſi tibi licet poſitionem non ſequi, cur nō mihi multo magis liceat non admittere ipſam etiam cōcluſionem, quę ex illa poſitione, quã nemo noſtrũ probat educitur? Nũc.n.quis nam eſt qui teneat præſciētiam meritorum eſſe cauſam prędeſtinationis? Si quis tamen eſt qui hoc teneat, non mecum pugnet, ſed cum Auguſtino, & Thoma & cōmuni ſchola. Cape hæc obſecro pie lector, & iudica non ex facie, ſed ex neruis, & medullis, vnde rectum iudicium prodit. Nunc audi cætera.

Venerunt alii, (quorum princeps videtur B. Pater Auguſtinus: quanq̃ & ipſe id non conſtanter vt oſtendi) & hi quidem, Dei prouidentiam circa ſalutem erga genus humanum aliter conſiderarunt. Dixerũt .n. Deum prædilexiſſe ac prædeſtinaſſe quoſdam ad vitam æternam, ita vt ab ea, ſecundum Dei prouidentiam ac prædeſtinationem, nullo pacto queant excidere. Cæteros verò omnino reprobaſſe, hoc eſt, odio ha-

F

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

buiſſe ac in maſſa illa perditionis reliquiſſe,& nullo modo eos ordinaſ-
ſe ad vitam ipſam æternam. Qua ſtante poſitione, etiam illa conclu-
ſio facilè ſequitur,videlicet,quòd nemo non prædeſtinatus, non ſolum
conſequatur de facto,verum etiam neq; conſequi valeat vitam eternam:
non quia non ſit prædeſtinatus;ſed quia non ſit quouis modo ordina-
tus ad illam. Qui.n.non eſt ordinatus ad ſalutem à Deo, quomodo po
terit eam aſſequi? At nec ego iam,nec tu o pie in hac poſitione ſtas,qui
1.Timo.2. ſimpliciter tenes,Deum,quod eſt ex ſe,velle omnes homines ſaluos fie-
ri,cum præparet illis idonea media ad ſalutem. Si igitur tu horum po-
ſitionem,ſicut neq; ego,non tenes; quomodo concluſionem ſuſtines,
quæ ex ea poſitione colligitur? Et mihi per te non licet ab ea conclu-
ſione recedere,quę ex ea poſitione deſcendit,quam nec tu ipſe probas?
Vide igitur quàm immeritò & iniuria mihi tu eorum autoritatem op-
ponis,quorum doctrinam circa hoc non per omnia ſequeris,ſed (quod
NOTA verè eſt mirandum) illud ſolum accipis, cuius tamen reiicis fundamen-
tum quo conſiſtebat.Hem,iam ne ſentis quod ego ab initio ſum pollici
tus me præſtitiſſe,illudq; tibi ereptum eſſe,ne valeas eorum niti autori-
tate in ſuſtinenda concluſione aduerſum me,quorum tu ipſe non reci-
pis autoritatem in ſtatuendo medium vnde concluſio educatur? Miſſa
igitur autoritate eorum, quorum doctrinam hac in re nemo noſtrum
probat,tu in præmiſſis,ego in concluſione;hoc tibi reſtat operis,vt ip-
ſam concluſionem nouis mediis comprobes,ſi modo vales.Tu.n.conce
dis cum B. Thoma non ſolum prædeſtinatos eſſe ordinatos à Deo ad
vitam,ſed & cęteros, qui non ſunt prædeſtinati. Nunc quo pacto pro-
bas omnes huiuſmodi non prædeſtinatos,à vita excidere,ad quam tamē
ordinatos eſſe confiteris? Non.n.tibi aſſipulantur illi priores,qui prę-
deſtinatos definiebant à præſcientia meritorum; quorum tu doctrinam
non tenes:nec tibi fauent poſteriores,qui item illud negabant quod tu
admittis, videlicet, vllum alium præter prædeſtinatos eſſe ordinatum
ad vitam.

Reſtat ergo hoc inter te & me certamen, & controuerſia circa non
prædeſtinatos,quos tu mecum concedis eſſe à Deo ordinatos ad vitam
æternam, & poſſe etiam illam conſequi,nec hanc potentiam eſſe à lon-
ge, ſed valde propinquam:vt B. Paulus prædicabat ex dicto Moſeos:
» Prope te eſt verbum in ore tuo,& in corde tuo, &c. Et Dominus dixit:
» Iugum meum ſuaue, & onus meum leue. Et Dilectus: Mandata eius
» grauia non ſunt.

His igitur ſic ſtantibus,me dicentem ex hoc ordine non prædeſtina
torum,ordinatorum tamen ad conſequendum vitam æternam,& in po
tentia non remota exiſtentium vt eam conſequantur; propter multa &
» magna Domini Dei auxilia,qui non vult mortem peccatoris, ſed magis
» vt conuertatur & viuat;tu inquam,me dicentem quòd ex tāto numero,
qui innumerabilis eſt,nonnulli ſalutem re ipſa conſequūtur, abſurdum
dicere exiſtimas;& non te potius,qui aduerſus logicam regulam com-

mittis; quæ eſt, Ex eo, quod admittitur actu eſſe id, quod poteſt eſſe; nihil conſequi abſurdi. Quare ſi volebas abſq; ratiocinationis defectu tenere concluſionem hanc, Neminem non prædeſtinatum ſalute conſequi, debebas vel eorum opinionem ſequi, qui aiebant, prędeſtinationem definiri à præſcientia meritorum; vel eorum ſaltem, qui non prædeſtinatos etiam omnino reprobatos ponebant, & negabant ordinatos eſſe vllo modo ad vitam. Modo cùm tu neutrum horum ſtatuas; potes, imò & debes ab ipſa concluſione, niſi diligis contentionem, confeſtim ac libenter recedere.

Confirmatio quartæ Concluſionis à ſcripturis ſanctis.

CVperet fortaſſe aliquis, aliquod à ſcripturis teſtimoniũ, quo id cõprobetur quod aſſero, videlicet, etiam multos eorum, qui non fuerint prædeſtinati, obtinere de facto ſalutem. Age vt huic etiam ſatisfaciamus. Primùm dicimus, ſatis hoc dici in ſcripturis, quando ex illis colligitur talis ordo non prædeſtinatorum, quibus ex prouidentia Dei, prompta parataq; ſunt idonea media ad ſalutem. Non.n.putabãt ſcripturæ quenq̃ in eam cogitationem venturum, qua ſibi perſuaderet, (vt ſæpe dixi, & ſæpius inculcandum eſſet tardis corde) fruſtratam eſſe Dei prouidentiam in hoc vniuerſo ordine, & in omni ſæculo, & in quolibet indiuiduo innumerabilium hominum; cum tot tamen præſidiis diuinis, à prædicatione, à ſacramentis, ab hortationibus prælatorum, à monitis amicorum, ab inſpirationibus angelorum, ab orationibus Eccleſiæ, & ſanctorum. Nam & pro non prædeſtinatis oratur, iuxta B. Pauli præceptum. Quid igitur? Omnia hæc fruſtra concedemus? Quis autẽ valeat id concedere, niſi planè homo peruicax, aut incõſideratus? Argumẽtũ efficax ab orationibus eccleſiæ.

Ad hæc, vt hoc agnoſceremus; id in Apocalypſi videtur ſatis oſtendi, quum in cœleſti regno primùm deſcribuntur nonnulla milia ſignatorũ, de quauis tribu, in quorum perſonis, qui dicitur quæſo intelligi, niſi prędeſtinati, quorum certus numerus prçſignatur? Sed audi quod ſubditur. » Poſt hæc (inquit Dilectus) vidi, & ecce turba magna, quam dinumerare » nemo poterat &c. Profecto illa turba quæ innumerabilis ponitur aſſiſtens ante Thronum Dei, non poteſt electos illos, quos paucos & ſignatos eſſe ſcriptura teſtatur, conuenienter ſignificare. Similis eſt in Canticis narrandi modus, vbi ait ſponſus: Sexaginta ſunt reginæ, octoginta » concubinæ, adoleſcentularum non eſt numerus: vna eſt autem columba » mea &c. His ergo verbis, Adoleſcentularum non eſt numerus, quos di» xerimus ſignificari niſi infirmos, & qui in inferiore claſſe non prædeſtinatorum inuenientur, familiares tamen in domo ampliſſima veri Salomonis, qui eſt Chriſtus? NOTA

Denique perſuaderi poteſt ingenuus lector à Parabola Domini apud Matthæum, vbi multi inducuntur vocati, & omnes pariter vitam æternã Math.20.

obtinuiſſe. Nec ſanè dici poteſt,illos omnes vocatos,fuiſſe electos: qui
quidem electi,in iis potius ſignificabātur,qui ex beneficio Dei peculiari,
minus temporis laborando, pares facti ſunt iis, qui portarunt pondus
NOTA diei,& æſtus. Alioquin quid cōcluderet id quod ibi affertur pro ratio-
» ne dictorum,videlicet,Multi enim ſunt vocati,pauci vero electi? Expen
dat ſecum acutus lector locū illum,nec quærat ambages,vt ſemetipſum
à luce veritatis auertat.

Expoſitio ſententiarum B. Pauli, vnde accepta eſt à multis occaſio ad cogitandum abſurda.

NVnc ergo tandem ſi fortè quis in ea ſententia velit perſiſtere, quæ
vult omnes non prædeſtinatos eſſe cōtinuò ab æterna vita repro-
batos; & ſe fretum Apoſtoli autoritate arbitretur;reſtat ea loca tracta-
re, vnde hanc tam diram opinionem elicuere. In eo.n.quod B. Pau-
lus ait: An non habet poteſtatem figulus ex eadem maſſa facere aliud
quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? colligunt quòd ita fa-
ciat Deus ex propoſito,etiam abſq; vlla conſideratione peccati: quod
eſt horribiliſſimum. Non ſolum autem non facit Deus vaſa contume-
liæ;ſed quum talia ſimus nos natura,aut ex nobis;dat tamen nobis fa-
cultatē,vt valeamus noſmetipſos transferre in vaſa honoris: Vnde idem
2.Timo.2. » Apoſtolus ait:Quòd ſi quis ſe emundauerit ab iis;erit vas in honorem,
» ſanctificatum & vtile Domino,ad omne opus bonum paratum. Quod
autem eo in loco Apoſtolus concedere videatur,Deū facere vaſa con-
tumeliæ:non ſecūdum aſſertionem dicit hoc,ſed ſicut accidit inter di-
ſputandum aduerſus immodeſtos atq; effrontes,qui volunt omnium re-
poſcere rationem à Deo, quæ ille facit. Vnde vt obſtrueret eorum os,
(tanq̄ concedens illis quòd ſic faceret Deus,ſicut illi colligebant) dixit;
Tu quis es qui reſpondeas Deo? Et attulit illam ſimilitudinem figuli.
Non vt inde acciperetur illud ſibi vendicare Deum,quod in figulo non
reprehenditur,ſed ex quadam hyperbole ad retūdendum arrogantiam
hominum.Nec putet quiſquam hoc meum eſſe commentum. Plures.n.
interpretes hoc pacto rem declararunt. B. Chriſoſtomus lōgo ſermo-
ne id proſequens,cōcluſit tandem his verbis:Caue ad opificii rationem
Super epiſto lam ad Rom. exiſtimes hęc à Paulo dicta fuiſſe,aut ſententię neceſſitatem:ſed ad œco-
nomiarum poteſtatem,ac differentiam. Nam ſi ita acceperimus,multa
abſurda ſequentur. Etenim ſi de animi ſententia hoc loco ſermo habe
tur;& bonorum,& non bonorum erit ille opifex, videbiturq; tū homo
extra omnem culpam eſſe;tum Paulus ipſe, qui vbiq; ipſam voluntatem
coronat,hac ratione ſecum ipſe depugnare.Hic igitur aliud nihil agere
vult,quàm vt perſuadeat auditori, vt maximopere, ac ſupra quàm dici
poſſit,Deo pareat, nullaq; de re ab eo rationem exigat. &c. Et infra.

Veruntamen, quod prius dixi, in vnum hoc ſolum accipiendũ eſt ipſum figuli exemplum, quòd videlicet non oportet Deo contradicere: quin potius incomprehenſibili illius ſapientiæ concedere. Nam exempla oportet maiora eſſe propoſitis, iiſq;, pro quibus ea in medium adducuntur: & quidem vt auditorẽ magis afficiant. Nam niſi maiora eſſent, maioremq; haberent hyperbolen, ea non quemadmodum oportet contradicentem perſtringere, ac pudefacere poſſent. Proinde importunam illorum contentionem ita obturauit conuenienti cum hyperbole. Adducit autem deinceps & ſolutionem. Quæ igitur ſolutio? Quòd ſi Deus volens oſtendere iram. &c. Hæc ille.

Volens igitur poſtmodo B. Paulus declarare quòd Deus non ita facit, id eſt, neminem facit ipſe vas contumeliæ, & ſumma iuſtitia cõqueritur aduerſus eos qui ſe tales faciunt, in quales dignum eſt vt ipſe inferat iram: adiecit continuò: Quòd ſi Deus volens oſtendere irã, & notam facere potentiam ſuam, ſuſtinuit in multa patiẽtia vaſa irę aptata in interitum, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quę pręparauit in gloriam. Hactenus Apoſtolus, & tanquam cum ſtomacho loquens, & aperiens interim veritatem, ſententiam imperfectam reliquit: vt ſit ſenſus, Si Deus ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ aptata in interitum, expectans videlicet, eorum pœnitentiam & conuerſionem, iuxta id quod dixerat: An diuitias bonitatis eius, & patientiæ, & longanimita- » Rom. 2.
tis contemnis, ignorans quòd benignitas Dei ad pœnitentiam te addu- »
cit? Tu autem ſecundum duritiam tuã, & impœnitens cor, theſaurizas »
tibi iram in die irę, & reuelationis iuſti iudicii &c. Redeo ad cœptam »
expoſitionem. Ait: Si ergo Deus ſuſtinuit vaſa iræ in multa patientia, quæ etiam ſua duritia aptata erant ad interitum; ſuſtinuit autem vt ſi conuerterentur, ea reciperet, ſi autem minimè conuerterentur oſtenderet iram & potentiam ſuam indurando illa, ſicut fecit in Pharaone, vt oſtenderet diuitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, quæ ipſe præparauit ad gloriam: quoniam ex Dei beneficio non potuerunt illis talia cõtingere. Hic ſiſtit Apoſtolus imperfecto ſermone, tanq̃ cum indignatione loquens. Quare oportet ſuppleri tanq̃ ſi expreſſe dixiſſet: Si hoc eſſet Dei conſiliũ, & decretũ, ſicut verè fuit, quid haberes quod in Deo reprehenderes, aut quod iniquum iudicares, cùm ex iis potius magna ſuæ laudis eliciatur ratio? Vt ſit multis rationibus laudandus; primùm de patientia, qua diu ſuſtinuit contumaces, ac rebelles, expectans vt reſipiſcerent: deinde de iuſtitia, cùm non reſipiſcentes, ſed perſiſtentes in ſua proteruia etiam obdurauit: Tertio de bonitatis amplitudine in vaſa miſericordiæ, quæ ſi dimiſiſſet ſimiliter in communi gratia & auxilio; forte & ipſa in illa mala; aut etiam deteriora incidiſſent. Vide ergo quàm pulchrè & doctè Apoſtolus vendicat ab omni incuſatione Deum, & oſtendit illum patientem, bonum, & iuſtum; vt abſq; vllo ſcrupulo ſuauiter ac planè hactenus cuncta incedant. Quòd vero quidam aiunt, ſpectare ad perfectionem & pulchritudinem vniuerſi, eſſe in quos Deus

Iuſtitiam ſuam exerceat, vt hinc ante malorum operum præuiſionem oriatur hæc diſcretio reprobatorum ab electis, & ſic Deus faciat vaſa contumeliæ ſine cauſa peccati; iam ſatis ſuperius exploſum eſt. Hic addo quod eram pollicitus D. Auguſtini teſtimonium. Ipſe ergo lib. 3. de libero arb. cap. 9. explicatiſſimè dixit, Neq; miſeriam, neq; peccatum neceſſarium fuiſſe: quæ ſi non forent, nihil de perfectione decederet Vniuerſitati. Imo ſi abſq; peccatis ſupereſſet miſeria, aut ſi miſeria ipſa peccata præcederet, ordo tunc potius & adminiſtratio vniuerſi deformaretur. Hæc ille.

B. Augu.

Sed obſtare videtur locus ille de Iacob & Eſau: quia ait Apoſtolus: Antequàm quicq̃ boni aut mali facerent; in ventre ille electus, ille odio habitus: ac per hoc reprobatus. Quod quia horrorem inferebat reſpectu reprobationis; dixerunt multi, quòd fuit reprobatus Eſau propter opera, & ſi non præterita, ſaltem futura, & à Deo præuiſa. Diuus autem Auguſtinus hoc magnis argumentis euertit, vt ſuperius diſſeruimus. Et nihiloſecius idem ſanctiſſimus doctor non potuit Eſau odium ac reprobationem non niſi peccato aſcribere, quo Eſau tenebatur etiam in vtero. Hoc autem erat originale peccatum, quod in primo parente admiſit. At ſi ad hominem fas ſit argumentari; credo ex propriis argumentis negotium illi magnum fieret. Videntur. n. ibi ab Apoſtolo hæ duæ perſonæ æqua lance penſari, quod attinet ad bonum & malum, propter illa verba: Anteq̃ quicq̃ boni egiſſent aut mali. Vt ſicut electus eſt Iacob anteq̃ quicq̃ boni egiſſet aut mali vel per ſeipſum, vel per parentem vllum; ita dicatur ſimiliter reprobatus Eſau abſq; vllo vel ſuo proprio, vel alieno contracto peccato: Ita vt non fuerit conſideratio originalis peccati, propter quod ipſe illam tulerit reprobationem. Quod & maxime audemus exiſtimare, quia circunciſus etiam ipſe de more gentis fuit, ac per hoc, ab illo peccato liberatus. Quo circa, dicendum procul dubio eſt, ſicut & alibi ſcripſi, quòd ab æquiuocatione orta deceptio eſt. Quoniam non eſt intellectum quale odium ſit, quo Deus deſpexit Eſau. Hoc autem non poteſt ſanè agnoſci, niſi locus ille ad literam explanetur.

Erant ergo in Vtero duo ex patre Iſaac, de cuius ſemine CHRISTVS erat proditurus. Oportebat autem vt ex altero illorum veniret CHRISTVS, non ex ambobus. Dei autem erat electio. Electus ergo fuit Iacob præ Eſau, & hoc nulla operum habita ratione vel bonorum, vel malorũ, neq; peccato originali conſiderato, quod in ambobus erat. Et hæc fuit illa Iacob dilectio; & illud odium in Eſau ad literam ſine ſuo vllo peccato: quia excluſus fuit ab illa prærogatiua, de qua plura veniebant in poſteros priuilegia. Sed non propterea fuit Eſau ſimpliciter odio habitus à Deo, vt excluderetur à via ſalutis. Abſit vt hoc putemus abſq; illius nouo ac proprio demerito. Iacob igitur tenuit typum prædeſtinatorum in illa prærogatiua: & Eſau typum eorum, qui ab ea prærogatiua excludũtur: qui quodammodo habiti odio dici poſſunt, & reprobati: quia quum in pari cauſa eſſent quantum ad merita; ipſi tamen à

maioribus donis excluſi ſunt, ad quæ alii ſunt electi. Accommodant .n. ſe ſcripturæ noſtris exiſtimationibus. Conqueruntur.n. plerię; ex liberis aduerſus parentes,& odio ſe haberi dicunt, quum alii in aliquo munere ſibi anteponuntur. Vide ergo acute lector, quòd ſi hunc Apoſtoli locum ſic interpretemur, non ſolum non ſtabit aduerſum nos; verum etiam militabit pro nobis. Quòd autem ſic interpretari cogamur, ipſa litera cogit. Non.n. quia fuerit ab ea prærogatiua excluſus, fuit propterea damnatus ad necem: ſed habuit ipſe familiam & gentem ſuam Idumęam,& non caruit bonis terræ, licet honoratior fuerit, & longè ditior populus Iſrael, qui aliquando dominatus eſt Idumæis: ſed poſtmodum » excuſſerunt iugum, vt Propheta apertè prædixerat.

Nec turbetur lector ab hac voce ODIVM. Nam & Dominus odium in parentes præcepit, dicens: Qui non oderit patrem ſuum, & » Luc. 14. matrem, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Abſit autem vt Dominus, qui » honorem præcepit deferri parentibus, poſtmodum odium præciperet. Odii ergo nomine ſignificauit dilectionem, quę parenti debetur, ſi conferatur cum illa, quę debetur CHRISTO, debere reputari odium: ita vt minor dilectio reſpectu maioris, odium appelletur: eo quod propter CHRISTVM dimittēdus eſt pater & mater,& omnis creatura, adhuc & ipſemet homo ſeipſum propter IESVM debet odiſſe. Sic Eſau dictus eſt odio habitus à Deo, reſpectu illius dilectionis, qua Iacob frater fuit præ illo dilectus. Et hæc ſatis vt reſpondeamus primis, & maximis argumentis, quæ mouere aliquem poſſunt. Cætera in alio opuſculo reſoluimus. Benedictus deus.

REVERENDISSIMO DOMINO *Philippo Archinto Salutiarum Epiſcopo, & Sanctiſsimi* D. N. *Papæ in alma Vrbe Vicario*

FRATER AMBROSIVS CATHARINVS POLITVS Epiſcopus Minorien. Gratiam, & pacem in Domino.

CVM eorum, qui de veritate enunciationum tractarunt, pleriq; Ariſtotelis doctrinam non capiant; aliqui verò etiam palàm reprehendant; nullus autem hactenus, quod legerim, plenam huius rei notitiã tradat; non inutile duxi, cùm hęc diligentior perueſtigatio, ad magnarum ac theologicarum quæſtionum reſolutionem plurimum conferat; aliquot horas huic meditationi impẽdere. Qua de opera natus eſt mihi libellus iſte, quem tu ipſe, me recitante de ſcripto, dignatus es audire loquentem, tuoq; calculo approbare. Nec.n.eſt vlla de re diſceptatio, de qua nõ poſſis cũ bonitate ingenii, tum ſolertia ac ſtudio, & incredibili quadam humanarum diuinarumq; rerum peritia, ſapienter cenſere, & iudicium ſanum proferre. Quamobrem, vt dignas tibi, pro re mea, gratias referrem; decreui illum dicare tibi, & ſub patrocinio tui nominis in lucem emittere, adiectis & aliis lucubrationibus meis quibuſdam, quæ ſimiliter difficillimorum articulorum ſummariam reſolutionem continent, & quidem dignam cui acutiora & fœliciora ingenia valde intendant. Puto.n.& de prædeſtinatione, & de originali peccato, & de iis, quæ inde emergunt obſcuris quęſtionibus, plura me explicaſſe, quę in aliis tractatoribus fortè deſiderentur. Te verò non latent, qui & illa in noſtris legẽs, tuo iudicio comprobaſti. Accipe itaq; hoc munuſculum qualecũque, certe tua gratia non indignum, modo ſis memor illius Ambroſianæ ſententiæ: In munerum oblatione à Diis non penſari quantum quiſq; offerat, ſed ex quanto: hoc eſt, non rei oblatæ pretiũ, ſed animum offerentis. Quantum.n.ſtudioſè te colam, atq; obſeruem, nõ modo tuorum erga me beneficiorum gratia, ſed multo etiam magis ob plurimas atq; inſignes virtutes tuas; non eſt meę facultatis exprimere. Dominus qui nos in hac mutua charitate coniunxit, ipſe nos ſeruet incolumes, & in gratia ſua cuſtodiat ad ſæcula ſempiterna. Amen.

REVERENDI. P. F. AMBROSII *Catharini Politi Epiſcopi Minorienſis*

DE VERITATE ENVNCIATIONVM.

QVONIAM Veritas enunciationum conſiderari poteſt aut logicè,aut moraliter, aut ſecũdum artem, aut deniq; Theologicè;primum de ea,iuxta logicam conſiderationem tractabimus:deinde iuxta inſpectionem theologicam. De veritate autem morali,& quæ ſecundum artem conſideratur;pauca & obiter dicemus.

Ad noſcendum ergo veritatem enunciationũ iuxta logicam conſiderationem, regula eſt Philoſophi clara: Ab eo quod eſt vel non eſt,enunciatio vera,aut falſa dicitur, ac dignoſcitur. Et quoniam in enunciationibus de præſenti,certum eſt in rerum natura oppoſitarum enunciationum vnam determinatè acceptam eſſe veram; relinquitur vt compertum,& abſq; dubio,alteram eſſe falſam. Idem in præteritis. Nec ſecus etiam in futuris, quæ habent neceſsitatem. Hactenus tranſit res abſq; diſcrepatione.In eiuſmodi enim non eſt inuenire inſtantiam de vlla certa enũciatione,vt dici valeat nec vera,nec falſa:ſed oportet quamlibet propoſitam eſſe veram,vel eſſe falſam aſſerere ex vi logicæ. Secus autem eſt in enunciationibus de futuro & contingenti ad vtrumlibet. Datur enim in his certam enunciationem nec veram eſſe, nec falſam. Si enim quis dixerit,erit nauale bellum mox poſt decenniũ; ex Philoſophi doctrina & regula dicendum eſt, eam enunciationem nõ eſſe veram;nec tamen eſſe falſam. Et ſimiliter ſi quis oppoſitam dixerit; Non erit nauale bellum mox poſt decennium; nec eſſe veram,nec item falſam. Hanc tamen, Vel erit nauale bellum, vel non erit,veram. Hanc vero, Erit,& non erit;falſam. Similiter & hanc,Neq; erit,neq; non erit,falſam.

Igitur cùm hæc ego ex Philoſophi doctrina in libellis noſtris tradidiſſem;reprehendit me eximius quidam Magiſter, duos notans errores, & quòd eam doctrinam tradiderim tanq̃ Philoſophi, cùm non ſit Philoſophi; & ꝙ cuiuſcũq; ſit, falſa ſit.

Ego verò circa primam,quam mihi ille ingerit quæſtionem,videlicet de ſententia Philoſophi,neſcio aliud afferre, q̃ ipſius Ariſtotelis verba: deinde expoſitiones nobilium commentatorum. Philoſophus ergo poſt longam diſputationem,in hęc verba concludit: QVARE MANIFESTVM EST, QVOD NON EST NECESSE OMNIS AFFIRMATIONIS, ET NEGATIONIS OPPOSITARVM, HANC QVIDEM VERAM; ILLAM VERO FALSAM ESSE. NEQVE ENIM QVEMADMO-

DVM IN HIS QVÆ SVNT; SIC SE HABET IN HIS, QVÆ NON SVNT: POSSIBILIA TAMEN SVNT ESSE ET NON ESSE, SED QVEMADMODVM DICTVM EST. Hęc ille in primo Perier. Nunc rogo, quid his verbis clarius pro nobis? Certè expoſitores Boetius, Auer. Ammonius. S. Thomas

B. Thomas eundẽ ſenſum proferunt, ſed nõ clarius q̃ ipſemet Philoſophus. Ecce. B. Thomas ſic ait: Cõcludit Philoſophus principale intentũ, & dicit, Manifeſtũ eſſe ex prædictis, quòd non eſt neceſſe in omni genere affirmationum & negationum, alteram determinatè eſſe veram, alterã falſam: quia non eodem modo ſe habet veritas & falſitas in his quæ ſunt iam de pręſenti, & in his quæ non ſunt, ſed poſſunt eſſe vel non eſſe: quia ſcilicet, in his quæ ſunt; neceſſe eſt determinatè alteram eſſe veram, & alteram eſſe falſam: quod non contingit in futuris, quæ poſſunt eſſe, & non eſſe.

Auerrois. Hæc D. Thomas. Auer. autem exponens, concludendo, inquit: In contingenti illo quod eſt ſecundum æqualitatem, non eſt oppoſitorum dignius vt ſit verum quàm aliud: & conſequenter de eo non poſſe haberi ſcientiam. Hæc ille. Nulla igitur contradictionis pars vera, ſi non eſt digna vt ſit vna verior altera, aut vtraque ponenda eſt vera, quod eſt impoſſibile; aut tandem vtraq; falſa, quod ſimiliter eſt impoſſibile. Reſtat

Boetius. igitur vt nulla vera. Boetius ſic concludit exponens. In illis. i. præſentibus & præteritis, definitè vna eſt vera, altera falſa: In his vero. i. futuris, & contingentibus, veritas & falſitas propoſitionum nulla definitione

Ammonius. conſtringitur: Hęc ille. Idem & Ammonius his verbis: Neceſſe igitur eſſe conſtat ab iis orationibus, quæ de contingentibus enunciant, partem alteram definitè veram contradictionis haud omnino haberi. Ex quibus apparet magna omniũ concordia, vt iam de mente Philoſophi non ſit dubitandum.

Sunt verò qui aliò ſenſum Philoſophi torqueant, dicentes nõ negaſſe illum alteram contradictionis partem eſſe veram: ſed dicere non eſſe determinatè veram. Ita quòd apud hos homines duplex eſt veritas, quædam quidem determinata, & quædam non. Verùm quoniam aut ipſi nihil dicunt omnino, aut id tandem dicunt quod nos; pergam eos interrogare, Quid ipſi ſentiant quando dicunt, enunciationem quidem eſſe veram, ſed non determinatè veram, de certa enunciatione reſpondentes: & quomodo poteſt dari verum, quod non ſit determinatè verũ. Sit ergo iſta enunciatio: Ad decennium erit nauale bellum. De ea quęro nunc ex Philoſophi doctrina, vtrum vera ſit, an falſa, aut neq; vera, neq; falſa. Si dicunt veram; ergo oppoſitam falſam dicunt, & per hoc contradicunt Philoſopho, qui abſolutè concluſit, in contingentibus non eſſe neceſſe oppoſitarum hanc quidem eſſe veram, alteram verò falſam. Ad hæc, cùm in his ponatur ab ipſo Philoſopho & expoſitoribus eius, non magis vnam, quàm alteram oppoſitarum habere de veritate; non video qua ratione iſti ſibi permittant determinatè de vna illorũ aſſerere quòd ſit vera, puta de affirmatiua, cùm pariter dicere poſſet alius de negatiua,

ac propterea duæ oppoſitæ contradictoriæ eſſent ſimul veræ.

Nunc acute lector vide quæſo deceptionē. Quod Ariſtoteles, & eius expoſitores aiunt; Neceſſe eſſe cuiuslibet contradictionis alteram partē eſſe veram, alteram eſſe falſam, ſed non determinatè ſeu definitè hāc aut illam; Iſti ſic acceperunt tanq̄ ly definitè ſeu determinatè, referatur ad veritatem, vt ſit ſenſus, quòd hæc aut illa enunciatio non eſt vera determinate, & ſi non negetur vera ſimpliciter: vt ſit quidem eius enunciationis veritas, ſed non determinata veritas. At hoc illud eſt quod ego non intelligo, & certè longè abeſt à ſenſu Philoſophi. Philoſophus.n. ait, quòd & ſi liceat nobis coniunctim verè dicere, Erit aut nō erit nauale bellum; & ita oportet coniunctim vnam earum aſſerere veram; non tamen licet ſoluere, ac determinare ſeu definire hanc, puta affirmatiuā: erit nauale bellum, & de ea pronunciare quòd eſt vera: & ſimiliter de negatiua: ita quòd illa determinatio non reſpiciat veritatem, quaſi aliqua ſit veritas determinata, & aliqua indeterminata, ſicut iſti cogitant: quod non eſt intelligibile, niſi confiteantur ꝙ veritas non determinata, ſimpliciter nō eſt veritas. Nam pariter de quauis contradictionis parte dici poterit, ꝙ non habet veritatem determinatam, ac propterea nec veritatem ſimpliciter. Alioquin cùm vtraq; pars contradictionis ſit indeterminatè ęquè vna ſicut altera, vera; vtraq; pars igitur eſſet vera, ſi quod indeterminatè eſt verum, ſimpliciter verum ſit. At hoc impoſſibile eſt. Oportet ergo dicere, ꝙ id quod non determinatè verum eſt, non ſit verum: nam & de eodem dicitur; quòd non determinatè falſum eſt, ne cogamur dicere, ꝙ etiam falſum non determinatè, ſit falſum ſimpliciter, ac per hoc inuenietur idem ſimpliciter & falſum, & verum: cùm idem ſit & non determinatè verum, ac per hoc verum; & non determinatè falſum, ac per hoc falſum. Vide igitur acute lector ꝙ iſti vel nihil dicunt, vel idē prorſus ꝙ nos ex mēte Philoſophi, videlicet nullā eiuſmodi contradictionis partem, determinatè accipiendo, veram eſſe nec falſam: & hoc ex ipſius regula: quia ab eo quod eſt, vel non eſt (pro ut dicitur) reſultat veritas, & falſitas orationis, & in his contingentibus, quia ſic ſe habent res, vt non ſint magis determinatæ ad eſſe, quàm ad non eſſe: nec magis ad nō eſſe, quàm ad eſſe; profecto nec affirmatiua, quę determinat eſſe, poterit aſſeri vera; nec negatiua, quæ non eſſe determinat.

Sed eſt vnus de noſtris, vir profecto inter ſcholaſticos multæ lectionis, ac doctrinæ, Appellabo eum ex nomine, & honoris gratia; Hic eſt Capreolus, qui ait, Non dixiſſe Philoſophum ſimpliciter de futuris contingentibus neutram contradictionis partem eſſe veram; ſed hoc tātum, quòd in eiuſmodi, ratione futuritionis (vt eius verbis vtar) non determinatur vlla pars plus ad veritatem, quàm ad falſitatem. At qu d eſt, rogo, dicere non determinari vllam partem plus ad veritatem, quàm ad falſitatem, ratione futuritionis, niſi dicere neutram determinatè eſſe veram, nec eſſe falſam, ſecundum quod conſideratur futuram? ſic enim cōſideratur à Philoſopho: quoniam illam oportet eſſe veram, quæ deter-

minatur ad veritatem, & illam falſam, quæ determinatur ad falſitatem. Et certè miror hunc tantum Thomiſtam potuiſſe ex doctrina Thomæ coniicere alteram harum enunciationum oppoſitarum de futuro determinatè eſſe veram, cum ipſe. B. Thomas manifeſte dicat, futurum contingens, vt futurum, nullius ſubdi cognitioni, nec diuinæ quidem. At ſi futurum tale, vt futurum, veritatem haberet; proculdubio diuinam nō euaderet cognitionem.

Nunc verò audi obſecro lector, quid iſte reſpondeat: Ait enim: Vera eſt illa contradictionis pars de futuro, non inquantum futura eſt, ſed inquantum præſens eſt, & ſubeſt diuinæ cognitioni. Poteſt hoc quidem aliquo modo concedi, & ſanum intellectū recipere, vt ſuo loco dicemus. Quoniam verò & praue poteſt intelligi, & habet difficultatē; queſo nunc ab iis, qui velint dictū defendere ex mente Philoſophi, primum nunquid Philoſophus vllibi dixerit, aut ſomniauerit, veritatem rerum ſtatui à diuina cognitione, in cuius conſpectu repræſentantur cuncta quæ ſunt, vt ſunt: Minime gentium. Ipſe enim in ea quæſtione, ad concludendum, & determinandum de veritate talium enunciationum, non alia vſus eſt regula, quam illa ſua, Ab eo quod eſt vel non eſt, oratio vera vel falſa dicitur. Et non ab eo quod ſit præſens diuinæ cognitioni. Nam pręposterū eſt omnino ſic dicere. Non enim quia res pręſens eſt diuinæ cognitioni, ideo eſt, aut ideo vera eſt; ſed econuerſo, quia eſt, ideo præſens eſt diuinæ cognitioni: ſequitur enim eiuſmodi diuina cognitio ipſam rerum exiſtentiam, non præcedit: quia fertur ſuper ipſas res: non ꝙ ipſæ res ſint cauſa cognitionis, aut viſionis diuinæ tanq̃ externum obiectum immutans potentiam cognitionis, & faciēs actu cognoſcere, ſed quòd in Deo, ipſarum rerum exiſtentia præcedit ipſam earum iam exiſtentium viſionem. Nam ſe ipſum Deus videns viſione ſua immenſa, videt cuncta quæ extra ſe ſunt, quæ iam ſenſit (vt ita loquar) à ſe dimanaſſe. Non autem poteſt dici Deum videre nunc rem futuram vt præſentem, in quo modo dicendi plurimi decipiuntur. Ipſe enim non videt nunc, id eſt, in noſtro Nunc temporis, quo nos concludimur, quod & tranſit, à quo ipſe maxime eleuatus eſt, ſed quæcunq; videt, videt in ſuo Nunc ęterno, quod ſtat. Æternitas enim ambit ineffabili quodam modo vniuerſum tempus noſtrum, & illud in ſe concludit, & cunctis momentis noſtri tēporis coexiſtit, ſicut ſua exiſtentia coexiſtit cum omnibus creaturis, etiā iis, quę nōdum ſunt nobis, ſed erunt. Nam illi iam ſunt, & in conſpectu eius ſunt in ſuo illo Nunc immutabili ac ſempiterno: nec tamē recte dicitur, ꝙ Deus nunc videt futurum contingens vt ſibi præſens: tum quia, vt dixi, ille in videndo non concluditur in noſtris Nunc, tum etiam quia pro iſto Nūc (quando eſt contingens futurum) cui Nunc coexiſtit æternitas, non videt futurum id contingens tanq̃ ſibi præſens, ſed pro illo Nunc videt illud ſibi eſſe præſens, quando erit nobis: ad quod Nunc attingit & exiſtentia ipſa Dei, & viſio eius. Hoc ſi poteſt accipere acutus lector, à multis liberabitur anguſtiis, de quo tamen & inferius erit ſermo.

Sunt autem qui videntur ſic cogitare; eſſe quidem alteram partem contradictionis veram ſimpliciter; ſed quia ignoratur à nobis vtra illa ſit, nec poteſt interim determinari; ideo poſſe dici de illa quidem quòd eſt vera, ſed non determinatè vera. Verum hoc non logicè, nec ex mente Philoſophi, ſed pueriliter cogitatur: Alioquin eadem ratione multa vera valeant de præteritis enunciari, quæ neſciuntur à plurimis, & dici poſſent vera, ſed non determinatè vera: quod eſt falſum, & contra ipſum Philoſophum, qui conſtituit differentiam hanc inter enunciationes quę de præterito, & illas quæ de futuro, quod illę quidem habent determinatè vnam partem veram; Iſtæ verò neutram: cuius ratio manifeſta eſt, quia veritas enunciationis, iuxta logicam conſiderationē, non à cuiuſq; notitia determinatur; ſed à natura rei, ſi ſeſe habeat vt enunciatum eſt, etiam ſi nullus ſciat. Inter præterita autem & futura hoc intereſt, vt pręterita quidem, & ſi ignorentur vt ſeſe habuerint, in rerum tamen natura iam determinatū eſt quomodo quidq; ſe habuit. In futuris aūt & cōtingentibus non ſic, vnde nec eorum poteſt haberi ſcientia. Hæc viderunt & iuriſconſulti, qui ſi quid ſub conditione promiſſum fuit, quæ ſpectet præteritum, puta ſi nauis ex Aſia venerit; dixerūt ortam eſſe obligationem, & actionem, etiam ſi ignoretur veniſſe: nō ſic autem, ſi dictum fuerit de futuro, Si nauis ex Aſia veniet. Quare non ideo quòd neſciatur à nobis, dicitur quicq; minus verum, aut minus determinatè verum, modò ſic in rerum natura inueniatur, vt de illo enunciatum eſt; Qua de re Boetius longum habuit ſermonem.

Concludo igitur nunq̃ veniſſe in mentem Philoſophi, enunciationem de futuro contingenti eſſe veram, quia ſubeſt diuinæ cognitioni tanq̃ præſens, cùm hæc conſideratio potius Theologica ſit; ipſe autem Philoſophus à rerū natura venaretur veritatē & falſitatem, vt in eo loco patet. Exiſtētia igitur rei futuræ ſi nobis ab ipſis cauſis inueſtiganda eſt (vt certè eſt) non depręhēdetur in contingentibus donec fiāt, nec ſi primam, nec ſi ſecundas cauſas inſpexeris. Prima enim cauſa eſt, quæ maxime facit contingentiam, quia ſic voluit; & cùm ſic voluerit, ſic etiam aptauit cauſas vnde venirent contingentia, vel æque valentes ducere ad vtrumlibet, vel ad alteram potius partem inclinantes: non ita tamen vt nequeat contingere altera.

Non pręteribo eſſe quidem ſcholaſticos & nobiles, qui ſicut ego dixi, fatentur Philoſophum ſic docere vt ipſe ſcripſi, vt Petrus Aureolus, & Gregorius Ariminenſis. Ambo enim conueniunt in hoc ipſo, quod Philoſophus quidem ita docuit. Verum Aureolus ille, hoc quidem quod Philoſophus docuit, veriſſimum eſſe aſſerit, & multis rationibus etiam comprobat. Gregorius autem audet reprobare, & aſſerere Philoſophū turpiter erraſſe & logicè, & phyſicè, & theologicè. Quid autem ſi quis oſtenderit, quæ ille aduerſus philoſophum obiecit, ſibi egregiè conuenire? Age experiamur. Primū de mente ac ſententia Philoſophi ille in hūc modum ſcribit. Ex iſtis autem patet euidenter, quòd opinio fuit Philo

» ſophi,quòd nulla propoſitio ſingularis de futuro contingenti eſt deter
» minate ſecundū ſe ſumpta, vera vel falſa: & miror multum quō aliquis
» intelligens,putet Philoſophum illud non ſenſiſſe,præſertim ſaltem cum
» oppoſitum dicentes,nullum textum vel ſententiam Philoſophi ad pro-
» bationem ſui dicti adducant,vel adducere poſſint. Quod autem dicunt
» quidam,non eſſe veriſimile ipſum ſic erraſſe, cum multa manifeſta in-
» conuenientia ex hoc ſequantur ita apparenter, non eſt amicabilis excu
» ſatio,ſed potius ſecūdum veritatem accuſatio:quoniam ſequela incon-
» uenientium non eum illud non ſenſiſſe, ſed non debuiſſe ſenſiſſe,conuin
» cit. Prçterea conſtat quod etiam Tullius tam magnus philoſophus, qui
» propter rationem ſupra factam Philoſophi, negauit omnē præſcientiā
» futurorum,vt patebit in quæſtione ſequenti, habuit etiam in præmiſſa
» concluſione cum Philoſopho conuenire.Item moderni magni docto-
» res dixerunt, concluſionem Philoſophi non ſolum fuiſſe de intentione
» Philoſophi,ſed etiam eſſe veriſſimam, & vtiq; demonſtratiuam: propter
» quod non ſic excluditur ex toto veriſimile,quòd Philoſophus illam fue
» rit opinatus, q̄q̄ ipſa ſit falſa, cui etiam accidit, quòd in pluribus aliis
» turpiſſime errauit, & in aliquibus etiam ſibi contradixit,vt patet in cō-
» cluſione præcedenti. Hæc ille. Et poſt hçc recitat argumenta Petri
Aureoli, quæ Philoſophi ſententiam probant, licet ipſi Gregorio non
videatur.

Videamus igitur nunc quibus mouetur Gregorius contra Philoſo-
phum,vt eius fallacias demonſtremus. Primum ipſe ſtatuit contra Phi-
loſophum concluſionem hanc. Omnis propoſitio ſingularis de futuro
eſt vera vel falſa.Ita quòd cuiuſlibet contradictionis contingit verè dici,
Hæc pars contradictionis eſt vera,& illa falſa:q̄q̄ nos quæ ſit determina-
tè vera,neſciamus.Hæc ille primum: tum nititur propoſitam concluſio
nem probare variis modis. Primo ſic: Sumo,inquit,mihi gratia exem-
pli,hanc,Antichriſtus erit. Et rogo de illa,vtrum ſit vera.Si conceditur,
habeo quod volo: ſi negatur, ſequitur ergo ſi non eſt vera hæc: Anti-
chriſtus erit,vera eſt hæc:Antichriſtus non erit. Quòd ſi vera hæc: An-
tichriſtus non erit,ergo oppoſita falſa: Antichriſtus erit, per legem cō-
tradictoriarū.Hic eſt primus eius proceſſus, in quo manifeſtè petit prin
cipium. Ipſe enim ex hoc quod dicimus non eſſe hanc veram:Antichri
ſtus erit,infert,ergo hæc eſt vera:Antichriſtus non erit.Sed vnde id quç-
ſo probat? Cum iam nos oppoſitum poſuerimus dicentes,quòd nulla
oppoſitarum determinatè eſt vera,nec eſt quod prohibeat,inter verum
& falſum concedi medium,hoc eſt,nec verum nec falſum:cum verum &
falſum ſint oppoſita contrariè,& non contradictoriè.

Audi ergo acute lector quomodo probat ille: ex oppoſito conſe-
quentis ſequitur oppoſitum antecedentis. Videamus quomodo,& inue-
niamus conſequens & antecedens & eorū oppoſita:quia hic homo alio-
quin acutus,proculdubio inuoluitur.Conſequens igitur eſt, verum eſſe
Antichriſtum non fore; Ex hoc ergo conſequenti ſequi debet oppoſitū

antecedentis. Antecedens erat,Non verum eſſe Antichriſtum fore.Ex argumento igitur huius viri ſequitur,quòd ex hoc, Non verū eſt Antichriſtum non fore, infertur eſſe verum,Antichriſtum fore. Et non conſiderauit iuxta logicam verā,ex negatiua nihil ſequi formaliter, & ſe adhuc petere principium:quoniam ad non veritatem vnius non ſequitur veritas alterius,etiam oppoſitæ, in omni materia,nimirum in hac futurorū contingentium:quia nullius oppoſitionis pars determinatè habet veritatem,ſed benè ad falſitatem vnius ſequitur veritas eius oppoſitæ. Dicimus ergo non valere conſequentiam:quia oppoſitum ſuæ conſequentiæ quod eſt,Non verum eſt Antichriſtum non fore,ſtat cum noſtro antecedente,quod eſt,Non verum eſt Antichriſtum fore:hoc enim eſt poſitum noſtrum,contra quod ipſe argumentatur.

Secundo argumentatur ſic.Si hæc non eſt vera:Antichriſtus erit,hæc ſubito erit vera, Antichriſtus non erit. Et ſi hæc vera Antichriſtus non erit;ergo oppoſita falſa,Antichriſtus erit:quoniam ab eo quod eſt & nō eſt,iudicatur veritas & falſitas propoſitionis.Quo in loco vide,quæſo,vt pariter hic Doctor decipitur, non capiens id quod ſumit, ex quo certe id ipſe concludit quod nos dicimus,non quod ipſe. Nos enim dicimus ideo non eſſe veram hanc,Antichriſtus erit, quia ipſius rei natura non habet correſpondentiam cum dicto,eo quòd non ſunt cauſæ paratæ ad eſſe certè Antichriſtum:veritas autem rei habet in ſe immobilitatem. Rurſum pariter dicimus,hanc non eſſe veram,Antichriſtus non erit,quia rei ipſius natura pariter non eſt firma ad non eſſe Antichriſtū, nec propterea ſequi de vlla,ſi non eſt vera,ergo falſa eſt: quia verum & falſum(vt diximus)non diuiduntur contradictoriè, ſed cōtrariè;ſicut album & nigrum. Si enim quis dicit,Antichriſtus erit,cum non ſit hoc in re ſicut dicitur,quia cauſæ non ſunt determinatæ ad eſſe,dicitur merito non eſſe veram enunciationem hanc, ſed non propterea falſam: quia non ſunt omnino cauſæ determinatæ ad non eſſe, quod redderet eam falſam. Ad hoc enim vt ſit vera enunciatio,neceſſe eſt ita ſe habere rem vt profertur: & ad hoc vt ſit falſa,non ſatis eſt non ita ſe habere rem vt profertur, ſed neceſſe eſt ex oppoſito ita ſe habere rem, vt nequeat eſſe quod profertur,& ſic erit falſa,quæ enunciatur de futuro: ſicut ad eſſe nigrum,non ſatis eſt non eſſe album:ac ſimiliter ad eſſe album, non ſatis eſt non eſſe nigrum. Magnus ergo error huius viri non reſpicientis eſſe medium inter verum & falſum,hoc eſt,non verum,& non falſum.

Ad hæc,ait,hęc eſt impoſſibilis, Neq; erit Antichriſtus,neq; non erit, ſicut ait Philoſophus:ſed hæc impoſſibilis ſequitur ex illis conceſſis, videlicet,hanc non eſſe veram,Antichriſtus erit, & ſimiliter hanc Antichriſtus non erit.Si ergo hæc impoſſibilis ſequitur ex illis conceſſis;ergo illa conceſſa ſimiliter impoſſibilia ſunt. Vide quęſo & hic ſophiſticam rationem & manifeſtè fallacem. Verè enim ſequitur ex illis duabus datis veris ſimul,Antichriſtus erit,& Antichriſtus non erit,Ergo neq; erit, neq; non erit:ſed nos non damus vllam earum veram,ita quòd ex hac, Anti-

chriſtus erit,poſita non vera, non ſequitur veritas oppoſitæ Antichriſtus non erit:ſicut nec ex illa data non vera,Antichriſtus non erit,ſequitur eius oppoſita vera Antichriſtus erit. Et ob eam cauſam minime poteſt ſequi illud totum Ergo neq; erit neq; nõ erit: nam ex eo quòd illam negamus veram,Antichriſtus erit,non poteſt inde ſequi quòd non erit, & ſimiliter ex eo quòd negamus veram Antichriſtus non erit, non poteſt indè ſequi quòd erit.Et ideo non cõſequitur illud totum, Neq; erit, neq; non erit.Addit item quædam argumẽta eiuſdem generis atq; eiuſdem fallaciæ,quæ reſoluenda ex dictis relinquo lectori,ſtudẽs breuitati.

Adiecit,ſicut contradictionis ſingularium categoricarum de futuro contingenti,negatur hanc eſſe veram determinatè,illam verò falſam;pariter poterit negari,quòd contradictoriarum de futuro cõtingenti quarum vna ſit vniuerſalis,reliqua particularis.Similiter Hypothecarum vt copulatiuæ & diſiunctiuæ,& vniuerſaliter quarumcunq; contradictoriarum circa futura contingentia,hæc determinatè ſit vera; illa vero falſa; & per conſequens vniuerſaliter excludi poterit primum principium à materia futurorum, ac per hoc nihil poterit affirmari vel negari de eis: quod etiam ipſi Philoſopho repugnat:Hæc ille. Ego vero nego hoc repugnare Philoſopho,quia nunq̃ Philoſophus ſtatuit in contingentibus ſi detur vniuerſalis contingens pariter ad vtrumlibet,& oppoſita illi particularis ſimiliter ad vtrumlibet,quòd neceſſe ſit vnam eſſe determinatè veram,alteram falſam,quia nulla poteſt inueniri maior contradictio q̃ ſingularium.Quòd ſi in his non datur de vlla determinatè dicere eſſe veram & alteram falſam,pari modo de aliis. Verum quia etiam de materia contingenti accidit frequentius vt vniuerſalis vel negatiua vel affirmatiua non poſſit ſe habere ad vtrumlibet, ſicut ſua oppoſita particularis aut contra:ideo Philoſophus noluit de illis ſollicitari.Ecce iſtæ,Aliquis homo erit albus,Nullus homo erit albus,nõ ſunt pariter ad vtrumlibet, & ideo iuxta Philoſophũ habebitur altera pro neceſſaria & vera, illa ſcilicet,Aliquis homo erit albus,& oppoſita pro impoſsibili.Similiter ſi dicatur,Omnis homo albus,Aliquis homo non albus;Omnis ſenex canus Quidã ſenex nõ canus:Nullus ſenex erit canus, Aliquis ſenex erit canus, & ita de ſimilibus ſicut notat Ammonius. Itaq; non eſt ſumendum vt principium in contingentibus ad vtrumlibet ſecundum Philoſophum, de quolibet verũ affirmare vel negare,cum ipſemet adeo manifeſte neget habere locum in contingentibus particularibus ad vtrumlibet.Itaq; perpetuo petit hic homo principium.

Argumentatur tertio loco: Impoſſibile eſt aliquas contradictorias eſſe ſimul veras.Sed ex hac Antichriſtus erit,ſi non eſt vera neq; falſa, ſequitur,quòd Antichriſtus erit & nõ erit, quæ ſunt contradictoriæ. Probat autem conſequentiam ſic,quia ſi non eſt vera hęc Antichriſtus erit; non propter aliud non eſt vera,niſi quia enunciat fore quod non erit: patet ex diffinitione veri: ergo ex ea data ſequitur,quòd Antichriſtus erit.Et rurſum,ſi non eſt falſa,non ob aliud non eſt falſa,niſi quia enunciat

ciat fore quod erit, vt patet ex diffinitione falſi; erit ergo & non erit Antichriſtus: ſi illa, Antichriſtus erit, neq; ſit vera neq; ſit falſa. Hæc ille. Reſpondeo, non verè illum reddidiſſe cauſam cur nō ſit vera, Antichriſtus erit. Nō enim ea eſt cauſa, quia enunciat fore, quod non erit, ſed quia determinatè enunciat fore, quod non eſt determinatum ad fore, quia poteſt etiam non fore: & ſic debet definiri veritas de futuris, videlicet, illam demum eſſe veram de futuro ſi affirmatiua ſit, quæ habeat cauſam certam qua conducatur ad eſſe id quod eſt affirmatum. Alioquin ſi eſt de futuro, & affirmat, & poteſt oppoſita eius euenire; quo pacto habebit veritatem ipſa interim, quæ ſi detur non euenire, nullam habebit unq̃ rationem veritatis? Qui enim dicit Erit, nō dicit Fortè erit, ſed determinat quòd erit. Hoc autē ſi fatemur eſſe hodie verum, vt dicitur, oportet determinatam habere cauſam veritatis & immutabilē, ne quod ſemel eſt verum, dici de eo poſſit aliquando, nunq̃ fuiſſe verum. Quod enim ponitur hodie verum, ſemper manere verum oportet pro hodie. Quid autē prohibet dari non euenire quod eſt poſſibile vt nō eueniat? & æquè poſſibile, ſicut poſſibile eſt vt eueniat? Similiter etiam dicitur, Non propterea non eſſe falſam illam, Antichriſtus erit, quia enūciat fore quod erit, ſed quia determinatè enunciat fore quod poſſibile eſt non fore. Non enim verificatur, Erit, per hoc quod poſſibile ſit fore: nec item falſificatur Erit, per id quod poſſibile ſit non fore, ſicut non verificatur Eſſe, per hoc quòd ſit poſſibile eſſe: nec falſificatur eſſe, per id quod ſit poſſibile non eſſe.

Ad hæc, argumentatur ille quarto loco ſic. Philoſophus hac ſua doctrina repugnat principiis veriſſimis & alibi conceſſis ab ipſomet. Quod ſic probat. Demonſtratis quibuſcunq; contradictoriis, hęc particularis enunciatio ſecūdum philoſophum eſt vera, videlicet, Aliqua iſtarum oppoſitarum eſt vera. Modo ſi quælibet illarum demonſtrata, negatur vera; ſequitur, inquit, quòd datur aliqua particularis vera, nimirū illa, Aliqua iſtarum eſt vera, cuius ſunt aliquę ſingulares, nempè Antichriſtus erit, Antichriſtus non erit: quarum nulla tamen eſt vera: & hoc repugnat, inquit, ipſi Philoſopho in primo priorum, vbi probans conuerſionem vniuerſalis negatiuæ, tādem ad hoc virtualiter reducit, quòd ſi particularis eſt vera affirmatiua; oportet quòd prædicatum verificetur de ſubiecto pro aliquo ſingulari demōſtrato, & per cōſequens quòd aliqua ſingularis eius ſit vera. Hoc ſi negatur; perit omnis probatio Philoſophi, quæ pertinet ad conuerſiones. Hæc ille. Vere ſophiſtica & mirificè moleſta, quæ ait hic doctor, & quæ addit, miſcens falſa veris, & perpetuo paralogizans, & ex poſitis veris nihil concludens. Pro cuius intelligentia dico, ꝙ nulla eſt particularis vera, quæ nō habeat vnam ſaltem ſingularem veram, ratione cuius ſit vera: modo illa particularis non ſit contracta. Declaro. Dixerit quiſpiam, Aliqua enunciatio de futuro contingenti eſt vera: confeſtim negabo, quia eius oppoſitam dico veram, nempe hanc, Nulla enunciatio de futuro cōtingenti eſt vera. Quòd ſi cōtra-

H

xero dictum ad certas enunciationes,dicens,Aliqua vel vna iſtarum vera eſt,ſiquidem non ſint oppoſitę illæ ſingulares, puta Dauus curret ad fontem,Pamphilus ibi comperietur. Neceſſe eſt ſi vera ſit illa enunciatio, Aliqua iſtarum eſt vera,vt verificetur in aliqua ſingulari demonſtrata: & ſi nō poteſt verificari;erit falſa:& quia non poteſt verificari in nulla,ſimpliciter dico falſam. At cum de oppoſitis dicitur, & de futuro contingenter, Aliqua iſtarum eſt vera,puta Antichriſtus erit, Antichriſtus non erit,hāc fatemur eſſe veram:& ratio huius veritatis eſt, quia in rerum natura interim conſtitutum eſt, vt nequeat euadere quin horum alterum eueniat:quod non eſt in non oppoſitis. Sed quia in rerum natura non eſt, etiam in his oppoſitis comparatum,vt illud ſit potius q̃ alterū;ideo non licet demonſtrare vllam illarum certam & aſſerere veram: nec per hoc corruit,vt ipſe fingit,vllum vel minimum principium Ariſtotelis in probandis cōuerſionibus, ſi quis attentè conſideret.

Adiicit,Tu cū Philoſopho cōcedis,ꝙ aliqua iſtarū eſt vera, Antichriſtus erit,Antichriſtus non erit:& de ſingulis interrogatus reſpondes,Non eſt vera:ita quòd per te hæc, Antichriſtus erit, non eſt vera:& ſimiliter hæc Antichriſtus non erit,non eſt vera:ergo ſequitur quòd neutra harum eſt vera:& tamen tu cū Philoſopho dicis, Aliqua iſtarum eſt vera:At aliqua & neutra,contradictoriæ ſunt. O ſophiſticā importunitatem. Nunc ergo audi acute lector,vt veram perſpicias contradictionem.Hæc eſt vera contradictio,Aliqua iſtarum definitè eſt vera,Neutra iſtarū definitè eſt vera. Sed huius contradictionis priorem non admittimus,ſed poſteriorem.At hæc,Aliqua iſtarum indefinitè eſt vera, Neutra iſtarum definitè eſt vera, non eſt contradictio:& idcirco vtramq; admittimus. Et mirum eſt Gregorium non appræhendiſſe quod iuriſperitis eſt in proſpicuo.

Fingam ergo pro huius rei intelligentia caſum & litigatores, actorem & reum coram Iudice. Volo autem actorem venire inſtructum à Gregorio: reum verò ab Ariſtotele. Deniq; Iuriſconſultum concludere,& pronunciari ſententiam veram.Vt intelligamus pulchra ſimilitudine veritatē in re propoſita quam inquirimus. Sempronius teſtator inſtituit hęredem Titium,& legauit Stichum aut Pāphilum Meuio. Haud dubium,mortuo teſtatore,natam eſſe obligationem & actionem ad hoc legatum ipſi Meuio.Ille igitur optabat dari ſibi Stichum. Inſtructus igitur à Gregorio Ariminenſi,vocat Titium in ius, & petit ſibi dari Stichū determinatè.Recuſat Titius,& inſtructus ab Ariſtotele ait,Male petis, nō enim debeo ego tibi Stichū determinate, ſed Stichum aut Pamphilum: fortè eligam darē tibi Pamphilum.Sic ſtante caſu,exibilatus eſt Meuius quòd malè petiſſet. Iterum ergo cōſuluit Gregorium,qui dixit illi,Eſto bono animo,vade & pete Pamphilum,vnus enim horum oportet quòd tibi debeatur determinatè & ſoluatur,ne legatum fiat inane. Iterum ergo inſtruxit litem Meuius contra Titium,Pamphilum petens.Titius autem ſimiliter ab Ariſtotile inſtructus excipiebat dicens, Ego ò Meui, nō debeo tibi determinatè Pamphilum, non teneor ad illum, male petis,

Non enim teſtator dixit lego Meuio Pamphilum, nec dixit lego Meuio Stichum, ſed lego Meuio Stichum aut Pamphilum. Inſtabat autem his Meuius ex argumento Gregorii tanq̃ euidentiſſimo dicẽs, Horum duorum vnum mihi debes: ſi non illum determinate, ergo hunc. Subriſit Iudex tanq̃ inepte dictum audiens. Ille ſubito dictum mutat, & ait: Si non hũc; ergo determinatè iſtum alterum mihi debes. Nam vnũ horum duorum mihi debes: ergo determinatè hunc vel hunc. Hic iudex ſe continere non potuit. Soluit enim ſe totum in riſum, tam perplexe loquẽtem audiens. Dicere enim, Ergo determinatè hunc vel hunc; idem eſt ac ſi diceret, Ergo determinatè & indeterminatè. Qui enim dicit, Hoc vel illud; neq; hoc neq; illud determinatè dicit. Abiit ergo Meuius à cauillis Gregorii deceptus. Iudicatũ eſt.n. quòd male petiſſet. Quare tandem miſſis Philoſophis, adiit aduocatum Iuriſconſultum rogans, quo pacto petere deberet. Reſpondit Iuriſconſultus: Pete non Stichum determinate, quia tibi Stichus determinate non debetur: & ſimiliter non Pamphilum determinatè, quia nec ille tibi determinatè debetur: ſed pete Stichum aut Pamphilum: ad vnum enim horum tenetur Titius. Non enim ſequitur, vt videtur Gregorio, quod ſi ad nullũ horum definitè tenetur; iccirco ad nullum horum ſimpliciter tenetur: non valet inq̃. Verum eſt enim quòd ad vnum horum tenetur, licet non determinate ad vllum. Hic Meuius ait, Vereor ne & ſic eludar, quia ipſe Meuius excipiens dicet Ego non teneor tibi ad Stichum determinatè, neq; ad Pamphilum determinatè: Nullum igitur horum tibi dabo. Nequaq̃ ait Iuriſcõſultus. Non enim poteſt excludi voluntas teſtatoris, quæ eſt vt alter tibi ſoluatur: & ideo ipſe hęres tenetur determinare vnũ quem elegerit, & illum tibi ſoluere. Hęc Iuriſconſultus. Cui Meuius paruit, & inſtituit iterum cauſam & obtinuit in iudicio. Ita eſt præciſè de huiuſmodi enunciationibus. Nam hæc determinatè, Antichriſtus erit non eſt vera: & ſimiliter illi oppoſita Antichriſtus non erit, non eſt vera: ſed harum vna eſt vera, non tamẽ determinate vlla. Quia enim in rerum natura comparatum eſt vt altera illarum determinetur, & fiat, ſicut ex voluntate teſtatoris erat, vt alter ſeruorum determinaretur in ſolutione; ideo vera eſt hæc, Aliqua iſtarum eſt vera: ſicut & illud verum eſt, Titium debere Meuio Stichum aut Pamphilum, vnum illorum: & rurſum, quia in rerum natura donec altera illarum eueniat aut fiat, non eſt comparatum vt illa fiat determinate, potius q̃ altera; ideo de neutra determinatè poteſt dici, quòd eſt vera, ſed indeterminatè, vtra illarum contingat, illa vera. Quare non licet ſoluere interim ac determinare hanc vel hanc, ſicut in ſimili volebat Meuius, & non obtinuit, & cõdemnatus eſt in expenſis. Oleum enim ſimul & operam perdidit.

Hactenus manifeſtum eſt, quòd inefficaciter oppugnat Philoſophi cõcluſionem hic doctor. Supereſt vt videamus q̃ minus idoneè ad ipſius Philoſophi probationes & argumenta reſpondeat. Erat argumẽtum Philoſophi, Si ſit altera de futuro determinatè vera; neceſſario erit ve-

ra,& tolletur caſus & contingens ad vtrumlibet. Negat Gregorius conſequentiam. Probauit Philoſophus hoc pacto. Veritatem enunciationis conſequitur ipſa rei exiſtentia quemadmodum eſt enunciata: & cõuerſo,ipſam rei exiſtentiam conſequitur veritas enũciationis, tam in his quæ de futuro,quã in his quæ de præſenti & de præterito. Verbigratia ſi hæc vera eſt Socrates diſputat;neceſſe eſt Socratẽ diſputare: & ſi Socrates diſputat;neceſſe eſt hanc eſſe veram Socrates diſputat: & ſimiliter ſi hæc ſit vera Socrates non diſputat;neceſſe eſt Socratem non diſputare: & Socrate non diſputante;neceſſe eſt hanc eſſe veram Socrates nõ diſputat.Parimodo de futuris,ſi vera eſt hęc,Socrates diſputabit cras; neceſſario conſtituitur Socratem diſputaturum cras: & eius oppoſitã Socrates non diſputabit cras;impoſſibilem. Quod ſi ita eſt, nihil igitur erit aut caſu aut vtrumlibet. Reſpondet ad hoc Gregorius,quòd eſt duplex neceſſitas,quædam conſequentiæ,& quædam cõſequentis:& propterea nihil eſt abſurdi,poſita illã vera Socrates diſputabit cras,& ex conſequentia dato quòd neceſſarium ſit Socratem diſputaturum cras;nihilominus fieri poſſe quòd Socrates non diſputabit cras, quia illa neceſſitas erat conſequentiæ,non conſequentis:& propterea turpiter erraſſe Philoſophum concludit & logicè,& Phyſicè.

Mirum autem eſt hoc opprobrium,quod non ſolum attinet ad Philoſophum,verum etiam ad cunctos eius & nobiliſſimos expoſitores tam græcos,q̃ latinos,qui non ſolum non reprehenderunt hac parte Philoſophum,ſed magno conſenſu illum ſectati ſunt.Tu igitur vide bone lector in quo hic doctor decipitur:non enim attendit quòd in propoſitis, iam poſita vera vna oppoſitarum,ſequitur neceſſitas cõſequentis, & non ſolum conſequentiæ, quia antecedens iam determinatũ,effectum eſt neceſſarium:ſicut poſito quòd aliquid fuerit, & ſi contingenter fuerit;neceſſarium eſt fuiſſe,& non poteſt fieri non fuiſſe quod fuit: quam potentiam,etiam ipſi ſummo Deo negant,vt quod factum eſt,ipſe non factum efficiat,quia implicat contradictionem:& tamẽ non negatur Dei omnipotentia,quoniam quod implicat cõtradictionem,nihil eſt. Par iudiciũ eſt in enunciatione de præſenti. Eſt.n.neceſſarium rem eſſe dum eſt: vnde ſi ſupponitur eſſe,iam abſolute fit neceſſaria hæc, Illam eſſe dum eſt.Et dum eſt,pro illo inſtanti quando eſt & dicitur eſſe,verum eſt non poſſe fieri quin ſit:& pariter de futuris.Quare ſi hęc determinatè dicitur vera,Socrates diſputabit cras;neceſſarium abſolutè cõſtituitur,illum diſputaturum cras. Et ſi hoc eſt neceſſe; non poteſt igitur ſecus accidere,& propterea aufertur vtrumlibet.Quòd ſi dicat quiſpiam, hoc ſtante iam determinatè vero, quod ſit cras diſputaturus Socrates, poſſe fieri tamen Socratem non diſputaturum cras; Videat qui hoc dicit,an ſe intelligat. Nam ſi cras Socratem nõ diſputaturum poteſt eſſe cum illa veritate determinatè data,Socratem cras eſſe diſputaturũ;ponatur ergo quod fieri poſſe dicitur,quòd Socrates non diſputet cras (nihil enim abſurdi ſequitur ex hoc, ſi quod poſſibile eſt,ponatur in eſſe)Viro autem qui hoc

dederit cum ſua poſitione continget ſimul Socratem diſputaturũ & non diſputaturum cras; & præterea quòd erit in his quæ ad vtrumlibet, cõtradictio, cuius tamen altera pars demonſtrata determinatè vera erit, & altera item determinatè demonſtrata, falſa. Ait enim, Nõ ob hoc dicitur aliquid ad vtrumlibet, quia non magis erit, quã non erit, ſed quia non magis poteſt eſſe, quã non eſſe. Quis poſſit nõ admirari dictum, quod vi ſua dicentem prorſus redarguit? Si enim hoc non magis poteſt eſſe, quã non eſſe, ergo non magis habet in ſui natura determinatum vt ſit futurum, quã vt non ſit futurum: ac propterea idem eſt dicere, Nõ magis erit quã non erit, quod eſt dicere, Non magis poteſt eſſe, quã non eſſe. Præterea, ſi nunc non magis poteſt eſſe, quã non eſſe, cur igitur tu determinas eſſe, ante ipſius rei naturam, & dicis nunc determinatè fore? Nam ſi determinatè vera eſt Socrates diſputabit cras; ergo iſta oppoſita falſa eſt, Socrates nõ diſputabit cras. Et quomodo vna vera determinatè, & altera determinatè falſa, habere poteſt æqualem poſſibilitatem ad veritatem & ad falſitatem, ſicut tu concedis, vt quæ ſit iam vera, poſſibilitatem habeat non minorem ad falſitatem, quã ad veritatem: & ſimiliter quę ſit falſa, non minorem poſſibilitatem, habeat ad veritatem quã ad falſitatẽ? Ambæ enim poſſunt æq; eſſe veræ & falſæ iuxta doctrinam hanc: & nihilominus vnam determinatè veram, alteram determinatè falſam concedis, & hoc ſaluo vtrumlibet. Quis iſta inſigniter abſurda eſſe nõ videat?

Erat ergo argumentum Philoſophi vt probaret concluſionem ſuam, id quod ſæpe diximus, & in quo velut in fundamento tota huius quæſtionis doctrina conſiſtit. Sicut res ſe habent ad eſſe vel non eſſe; ſic orationes ſe habent ad veritatem & falſitatem. Cum igitur res in huiuſmodi contingentibus nõ ſint determinatę ad fore vel non fore; ergo non poteſt de eis determinatè dici Erunt, nec determinatè dici, Nõ erũt. Audi nunc Gregorium acute lector. Ipſe in hũc modum reſpõdet. Dico quòd ſunt determinata ad futurum eſſe vel non eſſe, hoc eſt, determinatè erunt vel determinatè non erunt, q̃uis contingenter & non neceſſario: & ideo ſimpliciter orationes tales de futuro ſunt determinatæ ad veritatem & falſitatem, q̃uis contingenter: vnde talis determinatio de ineſſe tantum, non tollit contingentiam futuri, quæ conſiſtit in determinatione de poſſibili, quia ſcilicet poteſt fore, & poteſt non fore: & non in indeterminatione de ineſſe, qua ſcilicet dicitur, quòd neq; erit neque non erit, quia hoc eſt impoſſibile, & oportet alterũ tantum determinatè fore, contingenter tamen, quamuis vtrunq; eorum ſit nobis ignotum: & ideo patet, quòd iſta ratio eſt potius ad propoſitum. Hęc ille. Aſſerit ergo, quòd tales orationes ſolutæ, puta Erit hoc vel non erit hoc, determinatæ ſunt ad veritatem vel ad falſitatem, ita quòd qualibet demonſtrata, poteſt dici de illa determinatè, quòd eſt vera vel falſa, quia quantum attinet ad ineſſe, eſt determinatio, ſalua tamen natura contingentis: quãtum vero attinet ad poſſibile, non eſt determinatio. Sed hæc certè nimis abſurda & apertè præpoſtera ſunt, tum quia ſi determinatio fiat

vnius ad eſſe,tollitur manifeſtè poſſibilitas ad non eſſe,vt ait Philoſophus. Qui hoc negat;valeat,quærat hominem cum quo valeat effutire. Tum vero quia nihil eſt magis præpoſterum,quàm admittere quòd hæ enunciationes non ſint determinatæ de poſſibili,& determinatæ de ineſſe:ex quo dicto manifeſte ſequitur quod de neutra determinatè poteſt dici poſſibile,ſi ſecundum hunc reſpectum ſunt indeterminatæ: cuius tamen oppoſitum eſt euidentiſſimum,& ipſemet paſſim confitetur: quod qui negaret,aut mēte captus eſſet,aut certe mentiretur cōſcius veritatis.

Porro quod idem ait,quòd cōſtituere indeterminationem de ineſſe eſt idem quod dicere,Neq; erit neq; non erit;euidentiſſimè falſum eſt, q̃q̃ poſito hoc vero,ab eo primū ipſemet iugulatur, eo quòd ſimiliter poſita indeterminatione ſua de poſſibili,ſimiliter conſtituetur verum de eodem Neq; poſſibile fore, neq; poſſibile non fore. At reuera qui dicit de Erit, nō eſſe determinatè verum,neq; determinatè falſum;& ſimiliter de Non erit,ſeorſum;minimè dicit copulatiuè Neq; erit neq; non erit:vt iſte doctor Philoſopho & tam magnis & egregiis auctoribus falsò imponit,cum ipſi manifeſtè illam copulatiuam,Neque erit neq; non erit; impoſſibilē ſtatuant. Neq; enim ſequitur ex eorum dictis:ſed oppoſita potius,Erit vel non erit:vt ſuperius vidimus. Non ergo ſimpliciter auferimus fore per hoc quod dicimus nō eſſe determinatum ad fore: nam damus illud poſſibile:& ſimiliter,non fore. Calumnia igitur hæc mera eſt in tantum Philoſophum, & profecto nimia confidentia, aſſerere illum non ſolum turpiter & logicè & phyſicè erraſſe, verum etiam tam præclaros tanti Philoſophi commentatores & ſectatores (qui ipſius Philoſophi argumenta,quæ iſte repræhendit, tanq̃ demonſtratiua accipiunt) tanto errore inuoluere ac fœdare.

Pergit argumentari in Philoſophū ex diuinis oraculis. Eſt ſcriptum,
» Hic IESVS qui eſt aſſumptus à vobis in cœlum;ſic veniet. Et iterum
» de eo,Abſterget omnem lacrimam ab oculis eorum. Hæ enunciationes manifeſtè ſunt de futuro & contingenti,quas eſſe veras nemo poteſt
» niſi infidelis negare, cum dictum fuerit B. Ioanni: Hæc ſunt verba fideliſſima & vera. Si vera;quo pacto dicimus nos cum Philoſopho non vera? Reſpondeo,errat primum Gregorius,quod demiror,in exemplis quæ eruit de ſcriptura, afferens vt contingentia, quæ ſunt neceſſaria: vtrumq; enim illorum, quòd IESVS veniet, & quòd abſterget &c. eſt deliberatum iam & deſinitum, & non eſt contingens ad vtrumlibet. Sed demus hoc Gregorio tanq̃ non exactè cogitanti,ſicut accidit etiam egregiis viris,& fulciamus argumentum eius aliis exemplis,quæ non deerant.Hæc certè quam præ manibus habebat, de ſacris literis accipitur,
» Antichriſtus erit:& alia de Iuda,Qui manducat meum panē, leuabit con
» tra me calcaneum ſuū. Et dominus dixit de eo, Vnus veſtrum me tradet. Hoc oraculum proculdubio erat de re futura & contingenti: & tamen verum:niſi propter Philoſophum negemus ſcripturam & vocem Filii Dei.Hoc in loco,anteq̃ reſpondeam,requiro virum acutū,nec præ

cipitem in cenſendo anteq̃ intelligat,quoniam hic non meam doctrinã, ſed quæ eſt doctiſſimorum virorum tradã:tametſi (vt facilius capiatur) alio modo.Dico ergo quòd illa enunciatio Chriſti de Iuda, Ille me tradet:aut quæ de Antichriſto è ſcripturis educitur Antichriſtus erit, non inde tanq̃ vera accepta eſt vnde iuxta rationem logicam accipitur veritas quaruncunq; enunciationum : & idcirco dixi à principio, veritatem varie conſiderari.Aliter enim ſecundum inſpectionem logicam,aliter ſecundum acceptionem theologicam , aut ſecundum moralem ſiue artis conſiderationem.Manuduco volentem.Ponatur Cęſarem eſſe Auguſtę, & Sempronium ita enunciare,Cæſar eſt Auguſtæ. Putare tamen ipſum, Cæſarem eſſe Coloniæ,non Auguſtæ.Si quæritur vtrum ille verum dixerit,reſpõdemus iuxta logicam inſpectionem,verum dixiſſe:At iuxta moralem negamus:quoniam vt reus mendacii arguetur. Vide ergo quomodo de eodem,dictum vnum verũ ſimul & falſum cenſetur.A logico enim verum:à morali autem,falſum.Quid ita:niſi quia aliter conſiderat veritatem logicus,aliter moralis. Sit item medicus aliquis, qui conſultus de ęgroto,pro quo orẽt plurimi,dixerit,Morietur:& fuerit ęgrotus ſecundum canones medicinæ omnino moribundus. Heremita verò ac propheta DOMINI venerit,& dixerit,Non morietur,quia Dominus ſaluabit eum.Vterq; eorũ certe verum dixerit:& Medicus ſecundum artẽ,quę cauſas reſpicit vt ſe habent;& Propheta ſecundum reuelationẽ: & tamen alius dixit Morietur,alius Non morietur. Ita in propoſito dicimus de Iuda & Antichriſto ſecundum logicam,quæ ab ipſius rei natura colligit veritatem,poſſe dici vera non eſſe illa de Antichriſto & Iuda, quæ à ſcripturis enunciata ſunt:at ſecundum Theologiam contra, vera eſſe; quia Theologus non rei naturam,ſed quid effatus ſit Deus ſpectat, quem nouit proſpicere omnia,nec poſſe mentiri.

Surget hic aliquis & dicet,Damnatus eſt quorundam modus loquẽdi,qui huic ſimilis videtur,dicentium,ſecundum Philoſophiam quidem & eius principia,verum eſſe animam hominis mortalem, & Mundũ fuiſſe ſemper,q̃q̃ ſecundum ſcripturam & theologiam oppoſitum verum ſit.Videtur autem omnino idem dicendi modus hic noſter, qui dicimus idem ſecundum logicam inſpectionem non verum, & ſecundum theologicam acceptionem,verum. Aduerte acute lector , quoniam magna eſt differentia inter modum loquendi,qui damnatus eſt,& noſtrum. Et ratio manifeſta eſt:quoniam quæſtio hæc de mundo,vtrum fuerit ſemper, vel non fuerit;vnam habet conſiderationem veritatis tantũ, nec hic aliter logicus aut Philoſophus , aliter conſiderat theologus, nec poteſt ſecundum philoſophię principia ſtatui quouis modo verum eſſe animam hominis fuiſſe mortalem , & mundum fuiſſe æternum. Nam principia philoſophiæ oportet eſſe vera & neceſſaria : & quæ inde conſequuntur, ſimili modo vera & neceſſaria.Porro eorum quæ neceſſaria ſunt,vna eſt veritas determinata,& vna eſt illius veritatis inſpectio. Ideo bene damnatus eſt in ea materia ille modus dicendi. Aliud eſt ſi quis dixiſſet,ex

principiis philoſophiæ nõ haberi animæ hominis immortalitatem, aut mundi originem. Hæc enim diſputatio inter ſcholaſticos fortè poteſt admitti. Quòd vero dicatur ex philoſophiæ principiis haberi animæ mortalitatem,& mundi æternitatem; falſum,impium,hæreticum, & intollerabile eſt: quoniam verum eſſe id concluderetur, quod principiis fidei noſtræ repugnat. In futuris autem & contingentibus hic noſter dicendi modus irreprehenſibilis eſt, eo quòd ex alio atq; alio principio veritas enunciationis conſideratur,ſicut diximus. Logicus enim à rerũ natura accipit veritatem,& futurorum reſpicit cauſas: ideo pronunciat rem fore,vel non fore:nunq̃ autem pronunciabit fore,volens loqui verum,& non effutire,niſi videat cauſas aptatas, & neceſſario naturaliter ducentes ad fore. Theologus autem ſolum cõſiderat quid dixit Deus, & ſatis eſt ei,vt probet eſſe veritatem:quia Deus non poteſt mentiri.Sed hæc res latiorem exigit diſputationem.

PRIMVM DICET ALIQVIS, SI DE CONTINgentibus ad vtrumlibet Deus dicit determinatè hoc fore; quo pacto verum dicit,niſi viderit hoc ipſum fore? Quomodo autem videre poteſt hoc ipſum fore,ſi nõ eſt hoc verum in rerum natura illud fore?Certum eſt enim, Deum non videre quod non eſt. Nos autem ad hoc reſpondemus,Deus reuera directo,non videt illud fore tanq̃ cauſas habens ducentes neceſſario ad fore,ſed videt illud eſſe in conſpectu ſuo, non pro hoc tempore,quando nondum eſt,ſed pro eo tempore quando erit, ad quod tempus oculus eius æternus ſe extendit:& propterea annũciat nobis quòd erit:Quod quia multi non capiunt,idcirco multis obuoluũtur fallaciis. Quamobrem vt oſtendamus illas,ac reſoluamus;attende acute lector.

Ante oĩa ab ipſis rerum euentis diſcimus experiundo,eorũ quæ eueniunt,quædam neceſſario accidere,quædam verò non neceſſario. Horũ autem,quædam quæ raro,quædam quæ vt plurimum,quędam verò quę ſe æque habent ad vtrumlibet,vt non magis vnam,quàm alteram iure dixeris contradictionis partem cõtingere, antequam determinetur.Quòd ſi quis roget,cur hæc tam variè? Reſpondetur à bonitate, & prouidentia Dei,cui placuit varios eſſe rerum gradus in vniuerſo,& idcirco variis creaturis ipſe varias aptauit cauſas,hoc eſt,neceſſariis neceſſarias,contingentibus contingentes. Alioquin non recte dicitur vniuerſum.Ex hoc autem iam propoſito,quod nullus negare poteſt, primum reſoluitur ea fallacia, qua etiam magni viri ſunt eluſi, argumentantes contra rerum contingentiam à Dei prouidentia, aientes, Si quicquid contingenter euenit,ab eius eſt prouidentia:prouidentia autem eius infallibilis eſt;igitur quicquid contingit,infallibiliter contingit.Hæc illi. Tu verò acute lector vide clare fallaciam.Ab infallibilitate diuinæ prouidentiæ, concludunt infallibilitatem euentus:cùm certe oppoſitum deberent cõcludere,nimirum fallibilitatem. Si enim infallibiliter tales euentus contingerent,

gerent, falleretur proculdubio prouidentia Dei, quæ voluit euenire ea contingenter, ac propterea fallibiliter, non autem infallibiliter.

Secundo, & hinc etiam eorum argumentum monſtratur inane, quo aiunt, Deus & prouidentia eſt prima & potiſſima omnium cauſa imme-diatiſſime agens: vnde videtur conſequens, quòd cùm ipſa Dei prouidentia concurrat ad certum effectum; ipſe effectus neceſſario prodeat. Non enim id conſequitur: eò quòd vt dictum eſt, Deus coagens cum cauſa ſecunda per quam venit effectus, ita coagit, vt non violet rerum naturam & conditiones, quas ipſemet illis indidit, vt vario modo inde producerentur effectus: nec ob id fit vt non ſit ille prima & potiſſima cauſa effectorum ita contingentium, ſicut eorum, quæ neceſſario veniũt: quæ effecta vult euenire eo modo quo nata ſunt, & ſicut ipſe inſtituit, hoc eſt, illa quidem contingenter, illa verò neceſſario.

Tertio, & hinc etiam apparet friuolam eſſe quorundam meditationẽ aientium, de quouis effectu contingente, ꝙ ſi conſideretur cauſa prima, neceſſario contingit; ſin autem ſecunda; contingenter: quaſi vero ſecũda cauſa pugnet cum prima, ac non potius obtemperet primæ, quę vult vt effectus ſit contingens, ac per hoc per cauſas ipſas ſecundas contingenter producatur.

Quarto, illud quoq; non minus eſſe friuolum demonſtratur quod aiunt. Prima cauſa eſt neceſſaria, vt potè Deus: ergo eius effectus neceſſarius. Si enim valet hoc argumentum, etiam valebit illud. Prima cauſa eſt æterna, ergo effectus eius eſt æternus. Quòd ſi quis iterum inſurgat & dicat, Nonne omnis neceſſaria cauſa producit effectum neceſſarium? Animaduertat, quid ipſe dicat, & quid velit intelligi per hoc quòd ait, Deum eſſe cauſam neceſſariam. Si enim intelligit quòd ipſe Deus, qui eſt cauſa omnium effectorum, eſt quid neceſſarium, ideſt, non poteſt non eſſe; hoc nemo negat. Sed non ſequitur, quòd ſi Deus neceſſario eſt, ipſe ſit neceſſario eius rei cauſa: poterat enim nõ eſſe cauſa, quia poterat nihil creare. Quòd ſi dicatur, At poſtq̃ creare voluit res, neceſſario ipſe factus eſt omnium cauſa: nullus enim effectus poteſt contingere abſq; illo. Fatemur: ſed quid inde ſequitur? Nunquid quia neceſſe eſt vt omnis effectus à Deo veniat, quia ipſe in omni creaturarum actione ac factione concurrit, icirco ſequitur, quodcunq; euenit, euenire neceſſario? Abſit. Nam & ſi concurrat ipſe neceſſario ad illos effectus contingentes, quoniam ſine ipſo euenire non poſſent; non fit propterea vt ille, vel ille effectus neceſſario contingat: concurrit enim in contingentibus vt contingenter eueniant, ſicut per ipſas cauſas ordinauit. Quòd ſi tandem per neceſſariam cauſam intelligant eam, quæ habeat habitudinem neceſſariam ad effectum, ita vt ille effectus neceſſariò ſit proceſſurus; tunc procederet eorum argumentum: ſed falſum eſſet quod ſumitur, Deum ſic eſſe vniuerſaliter cauſam neceſſariam cunctorum effectorũ, propter ipſa contingentia.

Verum rurſum quidam ſic argumentatur. Prouidentia Dei ſeſe extẽ-

dit in contingentibus etiam ad illud tempus quando ipſum contingens determinatur ad vnā partem, quo tempore etiā contrahit neceſſitatem exiſtentiæ, ac propterea videtur fieri verum, quòd iuxta Dei prouidentiam cuncta neceſſario contingant. Ad cuius rei declarationem conſiderandum eſt, ꝙ prouidentia Dei, non quod eſt præſens, ſed quod futurum eſt proſpicit. Coexiſtit enim illa omni tempori, & cuiuis temporis momento: & ſecundum quod inſpectis cauſis, aliquis effectus contingens eſt ad vtrumlibet, Dei prouidentia, anteq̄ ille effectus determinetur, non ſic prouidet vt dicat, Volo illum effectum euenire: ſed ſic, vt dicat, Si ille effectus euenerit, illud agam: ſin autem non, illud. Exempli gratia, Non ordinauit Deus à principio & ante omnia vt filius eius traderetur, & crucifigeretur ab iniquis: ſic enim ordinaſſet peccatum: ſed poſtea q̄ in ſuo Nunc æternitatis vidit Iudam ſponte paratum ad tradendū, & alios ſimiliter paratos ad crucifigēdum, tunc noluit rē pertubare, ſed permiſit fieri quod volebāt, & eorū factum ad quod etiam ipſe cōcurrit, ſua prouidentia ordinauit in ſalutem noſtram, totius humani generis: Ita vt nō eſſet ex prouidentia Dei ab initio, quod filius traderetur, niſi poſtq̄ perſpectus eſt ab illa animus malus perſequentium, & volūtas perfecta hominum ad hoc ſcelus, cui noluit obſtare cùm poſſet: & hoc modo nō falſo dicitur illum pręordinaſſe totum, quia ſub ea conditione pręordinauit, ſi cōtingeret malignos velle eum tradere, ſe id permiſſurum: & hoc factum diſpoſiturum in ſalutem generis noſtri. Concurrente igitur aliquando volūtate malorum & permiſſione illa Dei, nihil prohibet quod erat contingens, factum eſſe poſtmodo neceſſarium, quoniā omne quod eſt, quando eſt, neceſſario eſt: tametſi anteq̄ eſſet, fieri potuerit ne eſſet: & poſtquā eſſet, fieri poſſit vt amplius non ſit: ſed dum eſt, vt non ſit fieri non poteſt, quoniam contradictionem includit.

Rurſum dicet aliquis, Nondum patet reſolutio eius dubii quod accidit, non dico à prouidentia, ſed à præuidentia, ſeu præſcientia Dei. Si enim pręuidet Deus determinatè de certa parte contradictionis, ꝙ illud eueniet, qūo fieri poteſt, vt non ſit illud determinatè venturū, quod determinatè præuiſum eſt à Deo futurum, & ita Deus præuideat ac iudicet determinatè ac certe, de altera parte contradictionis ꝙ eſt futura, cùm de nulla earum verè dici poſſit ꝙ ſit futura, vt eſt declaratum? Quoniam vero omnis noſtra circa hæc ignorantia & caligo ex eo accidit, ꝙ non rectè capimus modum viſionis diuinę, quæ excedit in immenſum omnē captum noſtrum, & non animaduertimus, ꝙ pleraq; de Deo dicimus valde impropriè, & ea quaſi propriè dicta nihilominus accipimus; vnde nodi inſolubiles exoriuntur; iccirco ad hæc explicanda, atquę enucleanda (quatenus ingenii noſtri acies queat contendere) nunc accingimur.

Primò ergo nemo debet putare poſſe à Deo videri id quod nō eſt: nec videri certo futurum id quod non eſt certo futurum. Impoſſibilia enim hæc ſunt. Quando igitur nos dicimus, ꝙ Deus videt determinatè illud futurum, falſum dicimus, ſi illud, Determinatè, cōiungitur cum eo

participio, FVTVRVM, vt ſit ſenſus,tales præcedere cauſas, quæ certum illum effectum ſint reddituræ,cùm hoc ſit falſum. Nam contingens ad vtrumlibet, non eſt determinatè futurum. Ideo & ſi detur ꝙ vt futurum cerni valeat à Deo,non tamen vt determinatè futurum. Poteſt tamē illud, Determinatè,aptari cum verbo,Videt,vt ſit ſenſus; quem nō negamus, ꝙ Deus videt determinate certum aliquem effectum futurum; non tamen futurum determinatè: q̄diu eſt enim in futuritione,vt ita loquar,eſt etiam in indeterminatione.

Præterea dicimus Deum ſcire omnia quæ fiunt, anteq̄ fiant, & iccirco præſcire cuncta ſiue neceſſario,ſiue contingenter futura. Legimus in ſcripturis: Deo anteq̄ crearentur,oīa ſunt agnita, Sic & poſt perfectum reſpicit omnia. Et cùm iſta negari non poſſint propter autoritatem ſcripturæ,videndum eſt quem ſenſum reddant, ne falsò dici videantur. Quod enim dicitur,ꝙ vidit Deus cuncta anteq̄ crearentur;certum eſt nō poſſe intelligi,ꝙ aliquo tempore præcedēnte creationem illa viderit,cū ante creationem nullum tempus eſſet:tempus enim cum ipſis cræaturis incępit. Quamobrem cum illud ANTE, non poſſit ſignificare tempus,atq; ideo non ſit differentia temporis,aptari poſſe videtur vt reſpectum habeat ad ipſam æternitatem,quę dicitur fuiſſe anteq̄ creatura eſſet,& ante ullum tempus,vt ſit ſenſus,ꝙ Deus in ſua æternitate,quę pręceſſit omnem creaturam,non quidem tempore,ſed gradu, modo liceat & ita dicere;cognouit.Cùm.n.ſint tempus,æuum,& æternitas, tria hæc, æuum dicimus ab æternitate præcedi, & ab æuo tempus. Itaq; Deus dicitur anteq̄ crearentur cuncta nouiſſe; quia illa in ſua æternitate nouit, quæ omnem durationem,ſiue æui ſiue temporis,præceſſit.

Poteſt & aliter hæc ſcriptura intelligi non inepte. Cogitamus enim in Deo prius aut poſterius,non quouis modo,niſi ordine quodam & natura. Vnde prima perſona dicitur prior ſecunda,quoniam ab illa hęc procedit,& natura eſt prior. Sic & ſecunda eſt prior tertiæ. Prius enim generat Filiū Pater,q̄ Spiritum producat,quem cū Filio producit. Sunt præterea multa,quę attribuuntur Deo, & ſanctæ Trinitati,quorum alia aliis priora ſunt,vt immutabilitas & æternitas:Prior enim eſt immutabilitas, q̄ æternitas: nam ab immutabilitate demonſtratur eius æternitas quaſi per modum cauſæ. Eſt & in Deo actus intelligendi ac volendi; ſed natura & ordine quodam naturali prior eſt in eo intelligentia, q̄ actus voluntatis.

Et vt propius ad rem noſtram accedam, Sicut in æternis hoc verum eſt,quæ in Deo ſunt,ꝙ prioritas ac poſterioritas quędam ordinis,ſuapte natura eſt in eis;ita eſt & reſpectu eorū,quæ emanant ab eo, ex tempore. Hæc enim ſi conferantur cum æternis,poſteriora ſunt: nec tamen dicuntur tempore poſteriora, ſed ſui natura. Ecce generauit Deus Filium & creauit mundum vno dicto ſuo illo æterno:prior tamen ordine eſt illa ſua intima generatio Filii, q̄ creatio mūdi:nec minus prior fuiſſet illa generatio,etiam ſi creatio mundi abſq; principio temporis fuiſſet. Ita

ꝙ ſecundum intelligentiam noſtram,oportet ordinem aliquem conſti⸗
tuere inter increata & non creata;vt illa priora dicamus;hęc poſteriora,
etiam illo dato, ꝙ creatio fuiſſet ab æterno.Ad hæc,etiam ſi quæ crea⸗
ta ſunt,& fiunt in tempore,comparentur inuicem,non dico vt ſunt in ſe
ipſis(vbi manifeſtum eſt,ꝙ alia ab aliis tempore præceduntur, & aliud
alterius cauſa eſt) ſed etiam vt ſunt in mente Dei,licet ab eo æternaliter
procedant;ordinem tamen ibi habent ineffabiliter.Ecce prior in mente
Dei creaturarum agnitio,q̃ voluntas creandi:& prior voluntas creandi;
q̃ creatio ipſa.Et hoc fortè ſignificauit ſcriptura cùm dixit,Deo agnita
Eccle.23. fuiſſe omnia,anteq̃ crearentur. Ne quis diceret, vt quidam fatui nimis
inſipienter,cuncta temere cõtigiſſe. Et ſicut Deus,quæ creata ſunt,prius
q̃ crearentur,vidit ea poſſe creari;ita & poſtq̃ creata ſunt, eodẽ illo ſuo
æterno intuitu ad ea reſpexit,ſicut eadem ſcriptura teſtatur,ſubdens ſic:
» Et poſt perfectum,ideſt, poſtq̃ facta ſunt,vidit & cognouit eſſe in ſe ipſis
valde bona. Quo in loco illud diligenter animaduertendum eſt, ꝙ no⸗
titia Dei,quæ fertur ſuper creabilia anteq̃ creentur, differt à ſemet ipſa,
quæ fertur ad eadem poſtq̃ creata ſunt. Illa enim notitia creabilium
coniuncta cum voluntate creandi;fuit cauſa creationis rerum & ipſarũ
rerum creatarum, vnde dicitur aliquo modo prior illa,quæ,iam creatis
rebus,ſuper ipſas fertur.Hæc enim præſupponit creationem & res ipſas
creatas:& ideo poſterior eſt illis:& ideo non poteſt cogitari vt cauſa il⸗
larum. Nec tamen ſunt in Deo duæ notitiæ actu diſtinctæ, ſicut in no⸗
bis;ſed reſpectu eorum,quæ videntur,alia atque alia cogitatur. Deus au
tem vnico & illo ſempiterno intuitu contemplando ſe ipſum, ſimul cun⸗
cta reſpicit & creabilia & creata, ſed alia atque alia notitia & viſio eius
dicitur,quę ſup creabilia fertur (nam illorũ eſt cauſa) alia verò,quę fer⸗
tur in iam creata,quæ vt ſic non eſt earum cauſa,cùm iam, ſicut dictum
eſt,illas pręſupponat exiſtere.Nunc autem nobis de hac notitia & viſio⸗
ne ſermo eſt;non de priore.Præterea cogitandum, ꝙ ſicut Deus ſua im⸗
menſa eſſentia attingit omnia quęcunq; creauit & quodlibet creatum;
ita ſua æternitate omne tempus attingit, & quamlibet particulam tem⸗
poris.Coexiſtit enim & toti tempori,& cuilibet momento temporis: ita
vt videns ſemetipſum,cernat omnia,quæ ſunt:quoniam ab eo manarũt,
& in conſpectu eius ſunt ab æterno:non tamen pro æterno. Quoniam
ab æterno creauit:non tamẽ vt eſſent ab æterno,ſed ex tẽpore,& quod⸗
libet eſſet ſuo tempore,ſicut illi placuit. Et in huius rei conſideratione
NOTA atq; apprehenſione conſiſtit diſſolutio cunctorum argumentorum,quæ
fieri poſſunt:quoniam multa ſumimus atq; aſſerimus vt vera, quæ ſicut
ea intelligimus,falſa ſunt.Hoc docet B. Thomas multis in locis,ſed pręci-
pue primo contra Gent.cap.67.

Argumentabitur ergo quis in primis, Si aliquid futurum ſcitum eſt
à Deo;illud erit Scitum eſt autem à Deo Antichriſtũ futurum;ergo erit
Antichriſtus. Et cùm antecedens ſit abſolutè neceſſarium; etiam conſe⸗
quens oportet eſſe neceſſarium:verum ergo erit, Antichriſtum neceſſa⸗

rio futurum: igitur non contingenter. B. Thomas ad hoc reſpondet in hunc modum. Iſtius conditionalis, Si aliquid eſt ſcitum à Deo, illud erit; antecedens eſt neceſſarium ſimpliciter, & conſequens eſt neceſſarium abſolutè, eo modo quo ad antecedens ſequitur. Aliter eſt enim de his, quæ attribuuntur rei ſecundum ſe; aliter de his, quæ attribuuntur ei ſecundum quod eſt cognita. Illa.n. quæ attribuuntur ſecundum ſe, conueniunt ei ſecundum modum ſuum: ſed illa quæ attribuuntur ei, vel quæ conſequuntur ipſam ſecundum quod eſt cognita; ſunt ſecũdum modum cognoſcentis: vnde ſi in antecedente ſignificetur aliquid quod pertineat ad cognitionem; oportet ꝙ conſequens accipiatur ſecundum modum cognoſcentis, et non ſecundum modum rei cognitæ: vt ſi dicatur, Si ego intelligo aliquid; illud eſt immateriale. Non enim oportet vt quod intelligitur ſit immateriale, niſi ſecundum ꝙ eſt in intellectu. Et ſimiliter cum dico, Si Deus ſcit aliquid, illud erit; conſequens eſt ſumendum non ſecundum diſpoſitionem rei in ſe ipſa, ſed ſecundum modum cognoſcẽtis. Quanuis autem res in ſe ipſa ſit futura; tamen ſecundum modum cognoſcentis eſt preſens: & ideo magis dicendum eſt, Si Deus ſcit aliquid, illud eſt, q̃ Hoc erit: Vnde idem eſt iudiciũ de iſta, Si Deus ſcit aliquid; hoc erit. Et de hac, Si ego video Socratem currere, Socrates currit. Quorum vtrunq; eſt neceſſarium dum eſt. Hæc ille. Idem aliis in locis docet. Verum contra hunc reſpondẽdi modum ſunt argumentatores, quos non eſt operæpretium adducere, eo ꝙ fortè poterat clarius atq; euidentius reſpõderi, ſicut cæpi iam declarare. Poterat enim dici falli hominẽ qui ait, Deus ſcit illud eſſe futurum: eo ꝙ cogitat Deum videre illud certo futurum, pro eo tempore quando eſt ad vtrumlibet: quod certe implicatam habet contradictionem. Quod enim eſt certo futurum, non poteſt non fore: & quod poteſt non fore, non eſt certo futurum. Huc igitur venirẽ oportet vt cogitemus, ꝙ Deus videt pro eo tempore quando iam determinatur altera pars contradictionis contingentis, quando non ſe habet amplius res ad vtrumlibet: ad quod tempus ſua illa immenſa æternitas attingit & illi coexiſtit. Pro illo ergo tempore videt Deus, quòd eſt, non ꝙ erit. Si ergo videt ꝙ eſt; & dum quid eſt, neceſſario eſt (Non enim poteſt fieri vt quod eſt, dum eſt, non ſit, pro illo inſtanti quo eſt) Deus igitur videns id quod eſt pro illo inſtãti nobis futuro, ad quod ille extendit oculum ſuum atq; intuitum; annunciat nobis multo ante, illud fore, reſpectu anterioris temporis, quod coram ipſo nõ fluit. Quare nos qui ab eo id fore audimus; credimus & dicimus illud omnino fore: non tñ propter cauſas, quę neceſſario ducant ad fore; ſed quia Deus dixit. Ipſe autem nouit ſuo tempore ab ipſa exiſtentia rei, quæ oculum eius non potuit effugere. Attende quæſo te hic acute lector. Nonne ab eo quod nunc eſt ſequitur neceſſitas pro cõſequenti tẽpore quod fuit? Nemo negat. Ponatur ergo id quod fuit, eueniſſe contingenter, non neceſſario: nunquid ex hoc quòd neceſſe eſt fuiſſe id quod fuit, rectè conſequitur quòd neceſſe ſit illud fuiſſe neceſſario: Minime gentium: ſed cõ

In.q. de veritate

ſequitur Neceſſe eſt illud fuiſſe ſicut fuit, videlicet vel neceſſario, vel cótingenter. Simile eſt, ſi ab eo quod nunc eſt & neceſſe eſt eſſe dum eſt, eliciàs neceſſitatem pro anteriore tempore, & dicas neceſſe eſt fore: Non enim propterea vllo modo ſequitur, ꝙ erit neceſſario tanq̃ habens neceſſitatis cauſas. Tale ergo eſt illud Erit, quod ſcriptura pronunciat de futuris contingenter: non quale eſt illud Erit, quod profert creatura. Illud enim Erit, quod profert creatura oportet ꝙ habeat ſuam veritatem à cauſis determinatis ad fore, ac propterea inde ſuam accipiat neceſſitatem, vt ſic arguatur. Sunt cauſæ quæ determinãt ad fore: Ergo neceſſario illud erit. At vero, illud Erit, quod ſcriptura ſiue Deus nobis annunciat de contingenti, non habet veritatem à cauſis, ſed ab illo Eſt in cóſpectu Dei, & ab illo Eſt, etiã accipit neceſſitatem. Et ideo non valet, Videt Deus pro eo Tũc illud eſſe; ergo pro anteriore tempore verum ſit quòd erit neceſſario: ſed è contrario ſequitur, quòd illud erit contingẽter, nó neceſſario. Sic enim videt Deus illud eueniſſe, non neceſſario, ſed contingenter. Nec aliud vitium eſt, nec aliud abſurdum in hoc proceſſu contingit, q̃ contingat in hoc, Neceſſe eſt Sortem currere dum currit: aut in hoc, Neceſſe eſt Sortem cucurriſſe poſtq̃ cucurrit. Ex iis enim conſequentiis non aufertur contingentia, nec ponitur neceſſitas curſus, niſi quando ita eſt.

Rurſum obſecro te acute lector & ad hoc attende quod dico. Si nos poſſemus oculũ extendere ad futurum tempus, & videre certum aliquid contingenter euenire; poſſemus & nos nunc dicere, Neceſſe eſſe illud fore, ſalua ipſa natura contingentię, quę eſt à cauſis, cùm non ſe habeat determinatè ad vnũm, ſed ad vtrumlibet. Neceſſitas autem illa conſtitueretur ab eo, à quo conſtituitur neceſſitas exiſtentiæ rei dum eſt, & dum conſpicitur eſſe.

Et profectò mirabile eſt, ꝙ quis per hanc præſcientiam Dei ſic fallatur, vt exiſtimet, ex eo ꝙ Deus præuidet, contrahi neceſſitatem vllam in re, cum præſcientia ſua huiuſmodi de qua loquimur, nihil ponat in re, imo conſequatur rem, quemadmodum diximus. Sicut igitur rerũ euentus conſiderans, ſemota Dei præſcientia, nullas pateretur anguſtias, in apprehenſione contingentium rerum; ita nullas deberet pati cogitans ad Dei pręſcientiam: cùm præſcientia illa nihil conferat ad neceſſitatẽ, quia nihil ponit in re, & nihil immutat. Sicut enim currente Socrate contingenter, non adiungitur illi curſui vlla neceſſitas ob hoc ipſum ꝙ ego videam illum currere (& tamen valet argumentum, Video illum currere: ergo hoc poſito, neceſſe eſt illum currere) haud ſecus eſt de præſcientia Dei: quoniam nullam neceſſitatem imponit in re, ſed ſolum eam neceſſitatem, quæ venit à ſuppoſitione: quoniam ſi Deus videt fore; neceſſe eſt fore: atque eo modo fore, ſiue neceſſario, ſiue contingenter, quo ipſe videt fore Quia igitur videt fore contingenter; ſequitur neceſſario ꝙ erit contingenter & non neceſſario: tãtum abeſt vt ſua præuiſio auferat contingentiam, & inducat neceſſitatem. Eſt enim non neceſſitas rei,

ſed conſequentiæ,vt aiunt Logici:& nihilominus etiam rei,pro eo tempore,quo determinatur effectus per cauſas .

Verum neq; ſic quieſcunt circa hoc meditantes.Occurit enim quoddam,quod facile conturbare poteſt mentem cogitantis , idq; eſt illud ab Ariſtotele conſideratum.Ipſe enim dato ꝙ nunc contingat aliquid fieri album,non propterea concedit enunciationem antea factam ab aliquo de illo futuro,puta ꝙ illud erit album,fuiſſe veram:Et nos hic dicimus, ꝙ ex eo ꝙ oculis Dei res ipſa quando alba eſt præſens eſt;ob eã cauſam ſit vera illa enunciatio antea facta de futuro de illa re,ꝙ erit alba. Attẽde lector,quoniam hæc ſubtilia ſunt valde. Hic enim oportet ea vti diſtinctione,quam fecimus ab initio,ꝙ aliud eſt cõſiderare logicè ac phyſicè,ſicut conſiderauit Ariſtoteles;aliud verò theologicè.Logicè enim ac phyſicè conſiderando , impoſſibile eſt vt enunciatio de futuro accipiat veritatẽ ab eo quod forte eueniet, niſi id quod fortè eueniet, perſpiciatur:quod perſpicere, non eſt in potentia creaturæ . Nulla enim creatura poteſt perſpicere certo de effectu contingenti quòd erit, & ideo vt verum loquatur homo de futuro aliquo,dicẽdo quòd erit;oportet ꝙ habeat cauſam veritatis in cauſis ſuis:& propterea ſolũmodo de eo quod eueniet neceſſario,vere dici poteſt ꝙ erit,quia ſic ſe habet natura rei:Eſt enim per cauſas determinatum ad fore . Deus autem , qui ſimul vnico intuitu attingit omne momentum temporis, & illud cùm res exiſtet , & cuncta anteriora quando nondum exiſtit,ſed eſt contingens vt exiſtat & nõ exiſtat;poteſt in illo anteriori tempore certe definire ꝙ exiſtet, & verum erit,non propter ipſius rei naturam, quam habet contingens tunc temporis ante ſui determinationem , ſed propter rei exiſtentiam , ad quam exiſtentiam ſe extendit eſſentia & æternitas Dei , ac propter hoc viſio eius,vt videns exiſtere pro illo tẽpore quando exiſtet;etiã ante eius exiſtentiam valeat pronunciare ꝙ exiſtet . Ordo igitur in explorando cauſam veritatis ſic ſe habet in his,quæ certo prænunciat Deus de futuris contingentibus.Prius enim eſt in mente Dei viſio ipſius contingentis effectus iam determinati ad eſſe,& inde eſt certa collectio ac pronunciatio ꝙ erit.Hic autẽ modus videndi futura,ac perinde colligendi ac enũciandi ꝙ erit;non competit creaturæ,ſed ſoli Deo iuxta illud,Dicite nobis futura,& dicam ꝙ Dii eſtis vos . Quicunq; igitur,præter Deum, profert de aliquo contingenti ꝙ erit,non id profert quia ipſe ſua eſſentia atq; æternitate pertingat ad illud,quaſi ſibi præſens quando erit, vt propterea ante illud tempus pronunciet,vel pronunciare valeat illud fore, & appareat illa connexio & quodammodo retrotractio in mẽte ſua ad gignendam veritatẽ de futuro,vt queat dicere,Si nunc eſt(per hoc Nũc, ſigno tempus quando erit) ergo in pręterito tempore futura erat.Nam ad illud Nunc futurum,ſolus Deus ſua eſſentia,vt dictum eſt,atq; æternitate extenditur, vt illi ſit præſens . Aliud eſt ergo illud Erit logicum ſeu phyſicum,aliud vero illud Erit theologicum . Illud enim logicum , vt diximus,habet ſuam veritatem à cauſis,quæ ſunt eo tempore, quo pro-

nunciat; vnde contrahit veritatem. Illud vero Erit theologicum, veritatem habet ab exiſtentia rei, quæ continget ſuo tempore diſpoſitis cauſis: & iccirco non contrahit neceſſitatem, niſi pro eo tempore, quo ſunt cauſæ determinatæ, & ipſe ſimul contingit effectus, non antea. Quam circa rem obſecro te rurſum acute lector attende. Sit ægrotus ſecundum diſpoſitionem omnino moriturus, ſed euaſurus mortem Dei virtute. Veniant duo medici iudicantes de illo, alius ꝙ morietur, alius ꝙ nō morietur. Et accedat propheta domini dicens, Non morietur. Effutiat item quilibet alius non habens reuelationem, nec attendēs ad cauſas, & dicat ſimpliciter, Non morietur. Si quæratur à nobis, quis nam horum enunciauerit veritatem; Reſpondemus, Medicus, qui dixit Morietur; verum dixit: quia dicens medicus Morietur, reſpondit ſecundum artem, & vidit cauſas omnino cōducentes ad mortem: & conſequenter alius medicus, qui dixit Non morietur; non dixit verum, ſed falſum: quia cauſæ erant aptatæ ad mortem. Prophæta autem Domini verum dixit, quia non reſpexit ad cauſas, ſed ad dictum Dei. Deus autem, qui dixit; ſimiliter nō reſpexit ad cauſas, ſed ad ipſum effectum præſentem ſibi, quem & ipſe voluit, & effecit. Alius verò qui in ventum proiecit ſermonem, & dixit, Non morietur; et ſi verum videatur quod dixit; moraliter tamen loquutus eſt fatuè ac temere, nec dici poteſt fuiſſe verax, ſed potius mendax. Quòd ſi idem caſus ponatur de ægroto, qui ſe habet ad vtrumlibet (modo detur hic caſus poſſibilis: ſed demus hoc vt poſſibile, vt iuxta inſpectionem medicinæ & morbi naturam, dubium ſit vtrū moriatur nec nè) & euadat; dicendum eſt vtrunq; medicum non verum dixiſſe, eo ꝙ qui dixit Morietur, reſpondit iuxta canones medicinæ, qui tamen non inferebant mortem: & ideo non dixit verum. Et ſimiliter qui dixit Non morietur; non verum dixit: quia non erant canones prohibentes, ſed ſub dubio ponentes mortem. Non ſolum ergo non dixerunt iſti veritatem, ſed etiam dixerūt falſitatem: quia Medicum dicere, Non morietur; eſt idem ac dicere, Secundum medicinæ canones hic ita eſt diſpoſitus, vt omnino euadat. Et contrà, Medicum dicere Morietur; tantundem eſſe videtur ac ſi dixerit, Secundum medicinæ canones ita eſt diſpoſitus, vt omnino moriatur: quorum vtrunq; falſum eſt ex poſito. Quòd ſi quis dixerit, Non ſic eſſe interpretandum dictum medicorum, ſed ſic, vt qui dixerit Non morietur, tantum dixerit, Non video diſpoſitionem ad mortem ſecūdū canones: vt ſit ſenſus, poteſt fieri vt non moriatur. Et ſimiliter qui dixerit Morietur; ſolum dixerit, Secundum canones video nihil prohibere quin mori poſſit; Tunc reſpondemus, vtrūq; medicorum dixiſſe verum, ſed illum prophetam magis. Illum verò effutientem; non verum dixiſſe iuxta logicam inſpectionem, nec falſum tamen: moraliter autem habebitur vt fatuus, vel vt mendax: quia iuxta bonos mores mendacium eſt enunciare quaſi verum, quod neſcias vtrum ſit verum, nec habeas coniecturas aſſertionis tuæ.

Eſt autem Theologi cuiuſdā non ignobilis alia conſideratio aduerſus ea,

ſus ea,quę diximus.Ait enim,Id quod futurũ eſt,eſſe præſens cognitioni Dei,& attingi ab eius notitia,nihil eſſe aliud q̃ reuera eſſe pręſens:ac per hoc,quod eſt futurũ & iccirco non pręſens,per vos (inquit ille) erit pręſens.. Si enim video Sortem ſedere in ſua præſentialitate ; ſequitur , Ergo præſentialiter ſedet in ſe.Ita ſi Deus videt ab æterno in ſua præſentialitate ſedentem Sortem,ſequitur ꝙ Sortes fuit ab æterno ſedens præſentialiter coràm Deo.Hæc iſte theologus.Cui cum honore reſpondés auſim dicere,Ipſum non apprehendiſſe modum quo Deus videt,ac propterea aſcendere in eum cogitationes quibus inuoluitur . Nos autem dicimus,Deum habere cuncta pari modo præſentia,neq; hoc eſſe abſurdum,Illud ei eſſe præſens,quod eſt nobis futurum:ſed non pro eo tempore quo nobis eſt futurum , eſt illi præſens, ſed pro eo tempore quando erit & deſinet eſſe futurum nobis:cui tempori coexiſtere illum diximus,ſecundum ſuæ æternitatis immenſitatem : qui modus eſt nobis incomprehenſibilis . Quamobrem non valet , Si deus videt Socratem ab æterno in ſua ſedere præſentialitate,ergo Socrates fuit ęternaliter ſedēs præſentialiter coram Deo.Non enim quia viſio Dei fuerit ab æterno, iccirco ſequitur id quod viſum fuit ab æterno,fuiſſe æternum: Æterna .n.Dei viſio,actiuè accipiendo,non conſtituit æternitatem viſorũ: neq; quia in ſua æternitate fuit illi pręſens aliquis temporalis effectus,ſeqtur ꝙ ille effectus ſemper fuerit,aut pro quouis Nunc tẽporis in ſua præſentialitate,ſed ſolum quòd pro eo tempore, quo conſtituitur in eſſe , non valuit latere oculum illum Dei æternum & eius æternàm viſionem ambientem omne tempus. Ipſe enim vno intuitu cuncta æternaliter videt, ita non æterna, ſicut æterna. Quemadmodũm mentis noſtræ oculus videt materialia,puta lapidem,non tamen materialiter.Et q̃q̃ rectè dicitur lapis viſus,vt eſt in anima,immaterialis eſt;non per hoc ſequitur ſimpliciter,ꝙ lapis in ſe ſit immaterialis.Sic non debet eſſe mirabile , à Deo quippiam æternaliter videri,ideſt,æterno oculo , ſeu viſione æterna ex parte ipſius Dei;ipſam tamen rem viſam in ſe non eſſe æternam . Sicut autem de eodem effectu,qui hodie contingit & heri non erat , verè poterat heri dici,Non eſt:& hodiè poteſt vere dici,Eſt: & cras verè poterit dici, Fuit; ſic nihil eſt abſurdi, de eodem effectu in cõſpectu Dei , qui ſimul attingit & coexiſtit heri & hodie & cras, ſecundum quod attingit & coexiſtit heri,dici Non eſt:ſecundum quod attingit & coexiſtit hodie, dici Eſt:ſimiliter ſecundum ꝙ attingit & coexiſtit cras,dici Fuit.Et hinc fit manifeſtum,ꝙ ſi ponatur aliquis effectus venturus cras , licet ſecundum ꝙ attingit oculus Dei & coexiſtit hodie,non poſſit de eo,pro hodie,dici quòd eſt,cum nõdum ſit;& ſecundum logicam inſpectionem dici etiã hodie non poſſit quòd erit cras,quia nondum ſunt cauſæ determinatæ ad fore cras;attamen quia Deus attingit ſimul & coexiſtit craſtino diei, quando iam cauſæ determinatæ conſtituent effectum in eſſe;ſicut ſecundum hoc tempus craſtinum quod eſt præſens conſpectui Dei , dici poteſt quòd eſt;ita ſecundum tempus hodiernum dici poteſt ꝙ erit . Quòd

ſi abiiceretur à Deo intuitus ille ſuus ſuper eo quod erit cras;nunq̃ ſecũdum intuitum ſuum ſuper hodiernum diem,aut aliud præteritum tempus,prænunciare potuiſſet ꝙ erit.Quare falſa eſt hęc oratio,Deus videt nunc præſentialiter Antichriſtum:quia pro hoc Nunc,non conſtituitur illi præſens,ſed pro illo Nunc quum vere erit,vt ſæpè diximus.

Nec adhuc quieſcit Theologus ille,ſed patitur,ſicut alii multi, anguſtias in cogitando hanc Dei præſentialitatem rerum,quã ponimus. Ait enim, Ille intuitus,qui fertur præſentialiter in aliquid exiſtens, neceſſario coexiſtit & eſt ſimultaneus cum illo in quod fertur: Sed manifeſtum eſt ꝙ diuinus intuitus,cùm ſit idem quod ſua eſſentia,non coexiſtit nec habet aliquam ſimultatem cum exiſtentiis rerum futurarum, quia nec exiſtentiæ illæ præſentes ſunt æternitati quando futuræ ſunt in ſe; imò nec quando ſunt actu habent aliquam ſimultatem cum diuina eſſentia;quia ipſa penitus eſt abſtracta,nec eſt præſens niſi ſolummodo negatiuè;ergo nullo modo diuinus intuitus fertur in exiſtentias rerum cõtingentium futurarum.hæc ille. Verum captioſa eſt argumentatio hæc. Quis enim neſciat nullam eſſe ſimultatem Deo nobiſcum iuxta logicos aut phyſicos modos cogitandi,quæ ſimul eſſe dicuntur? Sed quæ Dei ſunt,digne à nobis nec intelligi nec enunciari poſſunt.Pronunciamus tamé,ſed impropriè,vt intelligamus ex parte:quod tũc maxime facimus, quũ quod impropriè dicitur non neſcimus,& cogitatione amouemus illam improprietatem, retinentes quod ſincerius prædicatur de illo:Alioquin male intelligimus,& fallimur.Quamobrem D. Thomas in propoſito ſapienter his verbis admonuit, inquiens. Difficultas in hoc accidit, eo quòd diuinam cognitionem ſignificare non poſſumus,niſi per modum noſtrę cognitionis, ſignando tempus & temporum differentias.Hæc ille. Et iccirco non poſſumus vnq̃ ſatis tuti eſſe a captioſis, niſi in illam ſpeculam æternitatis,mente & cogitatione aſcendamus quantũ fas eſt. Quis autem poteſt negare oculum illum Dei immenſum ſimul videre cũcta, quæ ſunt,quæ fuerunt, & quæ erunt, quùm ſua æternitate ipſe ambiat omne tempus? Videt ea tamen vt ſunt,& pro eo tempore illa eſſe videt quo ſunt, non pro eo tempore quo non ſunt: vnde ea quæ iam præterita ſunt, pro hoc tempore quo iam eſſe deſierunt non videt eſſe,ſed deſiiſſe eſſe. Item ea quæ futura ſunt contingenter non videt eſſe pro hoc Nunc cum non ſunt,nec videt futura quaſi cauſas habẽtia neceſſario ad eſſe,ſed videt futura pro hoc tempore ob hoc ipſum, quia pro alio tempore quando erunt,ad quod ſua ſe extendit ęternitas,iam determinata conſpicit. Et hoc eſt certe quod Capreolus noſter ex doctrina S. Doctoris dixit,Futurum contingens,ſi vt futurum conſideretur, non habet determinatam veritatem,ſed vt ſubeſt cognitioni diuinæ. Cognitioni enim diuinæ ſubeſt non primò vt futurum, ſed vt præſens pro eo tempore quo erit;ac propterea vt futurum pro anteriori tempore.

Et hinc facile patet quod iam diximus,Aliter ſpectari veritatem à logico & phyſico,aliter à Theologo in futuris cõtingẽtibus:ac propterea

non diſſidere eos inter ſe, ſed vtrunq; verū dicere oppoſita enunciantē. Logicus.n.& phyſicus,quia rerū cauſas ſpectat,nō queunt verè dicere de vlla parte contradictionis,ꝙ erit,aut ꝙ non erit: quia in cauſis nō eſt determinatio nec ad hoc nec ad illud. Theologus aūt pōt, quia innititur reuelatione diuina. Deus aūt,in huiuſmodi contingentibus,nō ex cauſis conicctat fore,ſed à re ipſa,pro eo tēpore qñ erit determinata; ad quod tempus ſeſe oculus ipſius extendit; quod nō eſt creaturæ,ſed ſolius Dei, vt cōcedere habet omnis chriſtianus.Hoc.n.habemus ex fide, nec tamen abſq; ratione, propter immutabilitatē Dei,quam neceſſe eſt omnē theologū,ſi velit eſſe theologus,confiteri:alioquin nec eſſet Chriſtianus.

Patet etiam ex concluſis differentia futurorū contingenter, & eorū quæ habent cauſas ſuæ neceſſitatis etiam quantum ad viſionē Dei. Deus enim videt hæc futura, non ſolum ſicut videt cōtingentia per extenſionem,vt ita dicam,ſui intuitus ad id tempus quando erūt,ſed videt etiam pro hoc tempore vt futura,ideſt,vt cauſas habentia determinatas ad ſui exiſtentiam:ita vt ſi non ſe extenderet eius oculus ad futurum,poſſet tamen ipſe,quæ huius generis ſunt,pronunciare futura. Nam & homines multa huiuſmodi futura perſpiciunt, oculum admouentes ad præſentes cauſas. Et hinc habemus, Deum ipſum aliquid interdum prænunciaſſe,quod non euenit,quia non pronunciauit ſecundum ꝙ vidit in rei exiſtentia,ſed ſecundum ꝙ vidit in cauſis,quæ cauſæ impeditæ ſunt. Exempli gratia:In verbo Dei pronūciauit Iſaias Ezechię,Diſpone domui tuę, »
morieris & non viues.Et tamē non eſt mortuus Ezechias,ſed additi ſunt »
illi anni quindecim.Nunquid ergo mendacium dixit Iſaias, aut Domi- »
nus per Iſaiam? Abſit. Quoniam id quod dictum fuit Morieris (vt potè collectum per cauſas) non ſignificauit aliud,niſi cauſæ pro nunc ita diſpoſitæ ſunt,vt omnino ſis moriturus:quod erat verum. Sed diuina potentia cauſis non alligatur. Talę fuit illud de Niniuitis, Adhuc qua- »
draginta dies,& Niniue ſubuertetur. Id eſt,Talia ſunt eorum merita,vt ſint paſſuri ſubuerſionem:quæ tamen merita pœnitentia ſublata ſunt. Ea ergo,quæ ſic Deus prænunciat ſecundum præſentes cauſas, poſſunt non contingere,& tamen ſalua manet veritas in dicto; quia cōſideratis cauſis,ita erat futurum. At hæc prænunciatio ex cauſis non pōteſt fieri in contingentibus,neq; fit etiam ab ipſo Deo,vt dictum eſt.

Illud ēt ex dictis patet,(id quod alibi dixi) Marcū Tulliū nō falsò dixiſſe,Prçuideri,aut prçſentiri nō poſſe quicq̄ futurū, nec ab ipſo quidē Deo,qd neq; cām habet vllā,neq; notā cur futurū ſit:quod veriſſimū eſt. Hoc.n.& B.Thomas docet.Aliud.n.eſt dicere, ꝙ ęternus ille Dei intuitus fertur ad ea,quę euenīēt,nō quaſi diuinās futura, ſed quaſi cernēs iā exiſtētiā.Hoc.n.illę nō tractauit,nec fortaſſe cōſiderauit.Non.n.erat de hac re propoſita quęſtio,ſed de diuinatione tm̄.Vnde dixi, illū virū eximiū nō rectè à nr̄is fuiſſe hac parte reprehēſum.Et hæc ſatis exiſtimo bonis,& acutis ingenijs,ad reſoluenda cuncta,quæ hanc circa quæſtionem valent occurrere de veritate enunciationum.Benedictus Deus.

SVMMA DOCTRINAE R. P. F.

Ambroſij Catharini Politi Epiſcopi Minorienſis

DE NATVRA PECCATI ORIGINALIS

Ad Sacros Theologos.

Præfatio.

DVO ſunt præcipuè, quæ eandem rem paulo diligentius, & iterum atq; iterũ conſiderari ac pertractari poſtulant. Alterum eſt ſi non modica ſeſe offerat difficultas; alterum ſi multa atq; ingens conſequatur veritatis aſſecutionem vtilitas. Nam quum quod prius erat intellectu difficile, durum atq; obſcurũ, crebra tractatione & facile & liquidum ac lucidum reddimus; mirum in modum oblectamur, perinde ac ſi hoſtem quendam ſtrenuè expugnauerimus. Etenim difficultas rerum, quæ ſcientiam impedit, quid aliud eſt, niſi quidam hoſtis, qui deſiderio noſtro ſciendi, quod nobis inditum natura eſt, vehementer aduerſatur? Quòd verò vtilitas, quæ de quauis opera ſperatur magnum momentum habeat vt labor non recuſetur; nemo ſanus ignorat.

Cùm igitur hæc ita ſe habeant, & nullum ferè argumentum ſit in theologica diſciplina, quod cùm difficultate, tum vtilitate ſuperet id quod iterum tractandum ſuſcepimus, videlicet, de peccato originali; nemo iurè me reprehendet, quòd poſt priorem libellum, quem iam olim publicauimus, denuo & hanc adiecimus lucubrationem. Etenim in primis, rei difficultatē B. Auguſtinus illa ſententia ſatis probat. Ait.n. Hoc antiquo peccato, nihil eſt ad prædicandum promptius, nihil ad intelligendum ſecretius. Et Magiſter ſententiarum Diligenter, inquit, de hoc peccato inueſtigãdum eſt, eò quod ſancti doctores obſcurè loquuti ſunt; & Scholaſtici variè ſenſerunt. Quid autem diceret nunc, quando nec ipſe, nec qui poſt illum venere, eam difficultatem non modo non amputarunt, ſed infinitis diſceptationibus atq; ambagibus (ſit quęſo impunè dictum, quòd veritas manifeſta defendit) magnopere auxerunt? Vnde natæ & nutritæ ſunt hæreſes, vt nec deſint nunc quibus placeat pelagianũ dogma, alii qui Lutheranum amplectantur. Et de noſtris, qui ætate noſtra ſcripſerunt, vix duo ſecum conueniant. Satis ergo ſuperq; ſatis huius articuli difficultas apparet. Vtilitas verò, quæ huius rei pleniorem notitiam conſequitur, q̃ta ſit; viri ſancti nouerunt. Verè de cœlo venit illud, quod ſibi falſò arrogauit Apollo, NOSCE TE IPSVM. Quod nec ullum vnq̃ hominum ipſe docuit, nec vllus agnouit, niſi verè chriſtianus. Illa primum de cœlo vox, quæ poſt peccatum intonuit, Adam vbi es? quæ ad vniuerſum miſerum ac mortale noſtrum genus dirigebatur, illa inq̃ vox, quid clamabat aliud, niſi O infelix homo, noſce

te ipſum: agnoſce te nudum, require veſtem: ſenti vulnera, honora medicum, qui ea alligat, vino conſtringit, & oleo fouet. Hoc hominum philoſophia non docet, quia nec ipſa capit. Nam quæ in nobis innata eſt ex eo peccato ſuperbia vnde & philautia; huic intelligentiæ plurimum obſtat. Quo factum eſt vt etiam ex noſtris, qui de Philoſopho magis, q̃ de ſcripturis ſapuerunt; paulò plus naturæ viribus arrogauerint: & quæ ex eo peccato vulnera ſunt conſequuta & detrimenta, non penitus, vt opus erat, cōſiderarint. Lutherani nimii ſunt in hoc, & gratię CHRISTI magnopere derogant, qua hanc culpam & reatum extingui non confitentur. Quamobrem non niſi operæpretium me facturum exiſtimaui, idem iterum argumentum pertractare. Nam ne penitus rem actam ageremus; quædam prætериuimus alio libello fuſius diſputata; quædam adiecimus: nonnulla etiam dilucidius explanauimus, & validius confirmauimus, iis præcipuè inſiſtentes, quæ inſtans opportunitas videbatur exigere. Deniq; rem totam (ni valde fallimur) facilem, liquidam, claramq; reddidimus. Legite igitur colendiſſimi Magiſtri quæ vobis profero, non vt doctor veſter, ſed vt is, qui à vobis veritatem probari, ſi fortè meus illam calamus expreſſit, maximopere cupiam. Sin verò aliquid perperam à me effuſum, & veritati ſcripturarum minimè conſentaneum (quod ſuſpicari non valeo) deprehēdetis; liberè quęſo, & animo candido reprehēdite. Experiemini enim, experiemini inquam, hominem (Deo gratiæ ſint) qui magis veritatem diligat, quàm ſeipſum.

Quid ſit propriè peccatum originale, inueſtigatio.

ANTE omnia conſtituere oportet ſecūdum catholicam fidē, peccatum originale eſſe vere peccatum, habens rationem culpæ & imputabilitatis, vt ſit dignum pœna. Omne autē quod eſt propriè peccatum, habens rationem culpæ & imputabilitatis; oportet eſſe actum, & quidem voluntarium. Vnde B. Auguſtinus definiens generaliter peccatum, dixit: Peccatum eſt dictum, factum, vel concupitum contra legē æternam. Et alibi inquit. Illud propriè vocatur peccatum, quod libera voluntate, & à ſciente committitur. Et loquebatur ibi generaliter: nam de originali peccato quæſtio erat propoſita. Et B. Ambro. Quid eſt (ait) peccatum, niſi præuaricatio legis diuinæ, & cęleſtium inobedientia pręceptorum? Et verè ita eſt. Quamobrem qui nihil fecit, & tanq̃ peccator punitur, ſolet dicere, Quid feci? quid commiſi? aut quid debui facere, & nō feci? Nam iſta definitione etiam clauditur omiſſionis peccatū, vt declarat D. Thomas: Quia non facere quod debes, eſt aliquo modo facere. Nam priuatio & negatio ſub eodem genere concluditur, quo illud, cuius eſt priuatio vel negatio, vt dicunt logici. Et Iuriſconſulti inter obligationes facti, ponunt obligationem non faciendi. Illud itē manifeſtū, ꝙ pęna peccati, inquantum pęna eſt, aliud eſt, & multo diuerſum

ab ipſo peccato. Pęna enim effectus peccati eſt, non peccatum: & eſt à Deo in peccatorem, non à peccatore: & ſecundum legem Dei, non contra: Deniq; non eſt voluntaria, & eſt patientis potius quàm agentis. Qui enim pęna plectitur, patitur, non agit. Qui autem peccat, aliquid agit.

Quòd peccatum originale non ſit concupiſcentia, aut carentia iuſtitiæ originalis.

EX his autem ſic præmiſſis (contra quæ ſi quis diſputare voluerit, non contendam: quia indigere illum ſanitate mentis exiſtimarem) liquido elicitur, ꝙ carentia iuſtitiæ originalis & concupiſcentia, cũ quibus naſcimur, non ſunt ex ſeipſis propriè ac verè peccata, hoc eſt, habentia rationem culpæ & imputabilitatis: quod patere ſatis poteſt non excęcatis. Omnes enim conditiones, quas concurrere oportet ad rationem peccati veri & imputabilis, deſunt hic manifeſtè. Primò enim iſta non ſunt actus. Secundo, non ſunt quid voluntarium, neq; propria, neq; alterius voluntate, niſi valde obliquè & à longe: hęrent enim & inuitis, nec poſſunt euitari: Quòd autem euitari non poteſt, nõ eſt imputabile. Deniq; pœnæ ſunt, & ideò non ſunt contra legem æternam, imò ab ipſa lege æterna, quæ Deus eſt, inflictæ. Deus eſt enim qui ſubtrahit gratiã & iuſtitiam in peccati pœnam. Porrò quod eſt à Deo; impium eſt & blaſphemum vocare peccatum.

Inuenire ergo oportet peccatũ illud quod quærimus, cui non deſit vlla earum cõditionum, quas ad formandum peccatum oportere adeſſe ille ſolùm negare poteſt, qui velit contentionis gratia, non veritatis, contradicere, aut qui poteſt in ipſis foribus aberrare.

Quòd originale peccatum eſt ipſum actuale Adæ.

EST igitur mea poſitio & doctrina, Quòd peccatum quod quærimus originale, eſt illud idem quod fuit actuale Adæ. Hoc primùm probo: quia (vt ſatis patet ex ſe) peccato illi conueniũt planius ac ſuauius omnes conditiones peccati propriè accepti, & nihil incõuenientis & abſurdi, nihil etiam ſcrupuli huic poſitioni obiicitur, quod non accidat, & longe fortius, cuicũq; alteri.

Ecce prima conditio. Fuit enim Adæ illud peccatum actus aliquis: quia concupitum & factum. Deinde voluntarius: quia voluntate Adæ. Tertiò poterat caueri, cũ potuiſſet homo ille ac debuiſſet ſuaſibus Diaboli & vxoris non conſentire. Quartò, Illud peccatum non fuit pœna, ſed ſolum peccatum. Et quia verè fuit peccatum, ideò pœna dignum, & in ipſo qui propria illud voluntate admiſit, & in nobis. Deniq;, quia

non fuit illius tantum perſonale,ſed egreſſum perſonam illius, factum eſt commune omnium; ideò originale ab ipſa noſtri origine Adamo in nos transfuſum.

Quòd ergo originale noſtrum peccatum non ſit aliud q̃ illud quod fuit actuale Adæ,probo ſecũdo loco à ſcripturis Sanctis. Et primo à verbis Apoſtoli dicentis: Per vnum hominem peccatum intrauit in mundum,& per peccatum mors. Quòd enim Apoſtolus ibi de peccato originali loquatur,quod eſt noſtrũ,omnes Catholici cõſenſerunt,& Concilium Mileuitanum docet,& ſacra Synodus Tridentina firmauit. Certum eſt autem ibi de illo peccato eſſe ſermonem,vnde venit mors,tanq̃ peccati eius pœna. Vnde autem (quæſo) venit mors, niſi ab eo peccato actuali Adæ,cuius illa pœna fuit: ſicut apertè dicit ſcriptura: In quacũq; die comederis;inquit, morte morieris. Ergo peccatũ originale quod intrauit in mundum, illud eſt Adæ actuale, per quod etiam mors ipſa intrauit conſequenter in omnes,tanq̃ illius peccati pœna a verbo Dei. Quòd enim mors corporis ſit pœna originalis peccati,nemo negat.

Secundo,Argumentor ex eodem loco,hoc adiuncto, quòd ea mors comminata à Deo,intelligitur nõ ſolum corporis,verum etiã animę, ſicut Catholici tenent: quod ẽt Arauſicano Cõcilio comprobatur, & in eadem Synodo Tridentina confirmatum eſt.Mors autẽ animæ fuit priuatio gratiæ, & illius originalis iuſtitiæ ſimul cum omniũ ſpoliatione donorum. Hoc igitur ſtante,manifeſtè patet, quòd carentia originalis iuſtitiæ eſt pœna illius peccati originalis.Non ergo illud peccatum originale eſt ipſa carentia gratiæ vel iuſtitiæ,cum hæc ſit potius effectus,& pœna illius peccati originalis,quod dicitur intraſſe in mundum. Dicit enim manifeſtè ſcriptura,quòd peccatum intrauit in mundum,nimirum originale,& per peccatũ illud originale intrauit mors, videlicet,animæ & corporis,& ita priuatio gratię & iuſtitiæ: Vt manifeſtè euincatur,aliud fuiſſe ipſum peccatum originale,vnde venit priuatio gratiæ ac iuſtitiæ; aliud ipſa gratiæ & iuſtitiæ priuatio.

Tertio, ex eodem loco moueor,vbi dicitur, Mors pertranſiit in omnes, in quo omnes peccauerunt. Ecce primùm,dicimur omnes peccaſſe. Peccare autem manifeſtè dicit actum: De nullo enim auditur ſcriptum verè quòd peccauerit,niſi aliquid ipſe fecerit. Ecce igitur peccauimus omnes. Ergo actualiter,ſed non per noſmetipſos,(vt eſt manifeſtũ) ergo in parente. Propter quod declarans hoc B. Paulus,dixit: In quo omnes peccauerunt, hoc eſt,in quo Adam: quia in eo eramus concluſi omnes. Scio quòd non poteſt hoc ad peccatum referri, vt dicatur: In quo peccato;cũ obſtet græca lectio.Sed ſatis eſt vt dicatur;In quo Adã; aut,eò quòd omnes peccauerunt,proculdubio peccante illo.

Adiuuatur quod dicimus:quia iuxta cõmunem doctrinam, Dominus ipſe de peccato originali loquebatur,quùm dixit: Qui facit peccatum,ſeruus eſt peccati. Quo verbo non tam habere nos peccatum, q̃ etiam feciſſe ſignificauit: à quo (dixit) ſi Filius vos liberauerit,verè liberi

éritis. Si igitur peccatum originale eſt quod fecimus, certe cõcupiſcentiam, aut carentiam originalis iuſtitiæ nos non fecimus. Siquidem cum vtraq; naſcimur: niſi dixerimus, quòd eam fecimus, quum Adã ipſe peccauit: quia & nos eramus in illo, & ita peccauimus cum illo. At hoc eſt quod nos dicimus. Illud igitur eſt peccatum noſtrum originale, cuius peccati ſerui facti ſumus: quia per illud innata eſt nobis concupiſcentia, cui ſeruimus, quam feciſſe dici non poſſumus, niſi quia peccauimus illo modo.

Quarto: Illud dicitur eſſe meum peccatum, & me illud peccatum peccaſſe, per quod ego peccator conſtituor. Sed per inobedientiam illam Adæ conſtitutus ſum ego peccator, hoc dicẽte ipſo Apoſtolo: Per vnius inobedientiam peccatores cõſtituti ſunt multi. Ergo peccatum illud eſt meum originale, quod peccaui in illo. Vel ſic verte argumentum. Per originale meum peccatum ego conſtituor originaliter peccator, formaliter loquendo (Alioquin inſanum eſſet dicere, me cõſtitui peccatorem per peccatum quodlibet non meum, ſed omnino alienum) Sed per illam inobedientiam Adæ ego originaliter peccator conſtituor (Hæc minor eſt Apoſtoli) illa igitur inobedientia eſt peccatum meum originale. Non enim dixit B. Paulus, per carentiam iuſtitiæ originalis; aut, per cõcupiſcentiam peccatores conſtituti ſunt multi; Sed per inobedientiam vnius. Adiuuatur argumentum. Nam circumſcripta illa inobediẽtia, etiam dato originalis iuſtitiæ defectu, & conſequenter ipſa concupiſcentia poſita, non propterea diceretur homo peccator, ſi ita fortè crearetur à Deo in puris naturalibus.

Nec dicat mihi aliquis, hanc eſſe opinionem Pelagianorum; quia ſic illi exponebant B. Paulum, vt recitat Magiſter ſententiarum in ſecũdo, & reprehendit. Primũ enim dico, ꝙ hæc expoſitio eſſe debet omnium Catholicorum; quia Apoſtolus ita clarè loquutus eſt, vt qui ex eius verbis hunc ſenſum non capiat, palàm deliret. Deinde confidenter aſſero, ꝙ hæc non ſolùm non eſt Pelagianorum opinio, ſed maximè aduerſans illi. Dixerunt enim Pelagiani, illud Adæ peccatum ita fuiſſe originale, vt ſolummodò fuerit perſonale illius, & non noſtrum; Et ideo nihil nobis nocuiſſe, niſi & nos ſimiliter peccando parentẽ noſtrum imitaremur, ac per hoc non propagatione transfundi, ſed exemplo tantum & imitatione contrahi: quod tandem erat negare eſſe originale peccatum. At hanc hæreſim maledictam ego & in ſcriptis, & voce ſemper ſum deteſtatus: & inuectus ſum etiam contra quoſdam nouitios eius dogmatis ſuſcitatores, contra quos hæc noſtra poſitio è diametro pugnat. Nos enim dicimus, quòd illud Adæ peccatum eſt meum, & propter illud ſum mortuus morte animæ & corporis. Pelagiani autem contrà, qui illud ſoli Adæ nocuiſſe docebant. Et hoc eſt ſolummodo propter quod à Catholicis ſunt damnati. Quamobrem Pelagiani ſunt potius, qui cõtradicunt poſitioni noſtræ, volentes illud Adæ peccatũ non eſſe quouis modo noſtrum. Quòd ſi non eſt noſtrum, cur ergo per illud morimur? Sin

autem

autem noſtrum eſt, quodnam fuerit niſi originale?

Vnde quinto loco id clarius repetens; ſic argumentor. Si non eſt noſtrum, qua ergo iuſtitia, qua æquitate debuit mihi nocere, & ego debeo ſuſtinere pœnas eius? Nocuit enim nobis actuale illud Adę peccatum, ſicut fatentur Catholici omnes. Nam & eius pœnas omnes ſuſtinemus. Ergo & hoc fateri debemus, illud fuiſſe peccatum noſtrum: non autem noſtrum actuale, ſed patris noſtri, à quo originem trahimus; ergo noſtrum originale. Nam ad deprehendendum hoc originale peccatum, nihil puto eſſe aptius, aut etiam promptius, q̃ ſtatuere illud eſſe, quod ſi non fuiſſet, nihil propriarum pœnarũ illius peccati in nos dimanaſſet. Quæ aũt ſunt (quæſo) propriæ pœnæ originalis peccati? nonne ſublatio originalis iuſtitiæ, & concupiſcẽtia, & mors, & cætera corporis & animæ detrimenta? At certè hæc nobis non adfuiſſent naſcentibus, niſi ille peccaſſet illud. Illud ergo fuit originale peccatum noſtrum, cuius hę ſunt propriæ pœnæ.

Sexto argumentor quærens ab his. Adam ipſe habuit peccatum originale, an nõ? Si non habuit originale peccatum, quomodo illud tranſmiſit? Si habuit originale peccatum, quodnam fuit illud originale peccatũ, quod tranſmiſit, niſi illud actuale, vt expreſſum eſt in B. Paulo? Vnde & D. Thomas manifeſtè dicit, illud primum peccatum primi parentis originaliter traduci in nos, vt habeamus illud. Sed illud primum peccatum fuit actuale, quod etiam poteſt dici plura peccata, vt idẽ S. Doctor declarat: quia in eo fuerunt plures deformitates, ſcilicet, ſuperbiæ, inobedientiæ, gulæ, & alia huiuſmodi. Manifeſtum eſt ergo quod illud Adæ peccatum actuale fuit noſtrum originale. Quòd ſi aliqui inopinabiliter velint dicere, quòd potius carentia iuſtitiæ in Adam & concupiſcentia illa, quæ inde eſt conſequuta, fuerit verè peccatum originale Adæ, & hoc tranſmitti, non autem illud eius actuale; iis ſic dicẽtibus primum verba D. Thomæ reſiſtunt, quoniam illa Adæ concupiſcentia nõ fuit primum illius peccatum, imò nec peccatum propriè, ſed pœna peccati, nec de illa dici poteſt, quòd fuerit in nos transfuſa, quę cum illo extincta eſt. Tho. 1. 2. q.

Sed occurret mihi hoc in loco aliquis, & dicet. Contrà: Quia ſi originale eſt illud actuale Adæ, ille certè actus quidam fuit, & ſimiliter non potuit tranſmitti: quia accidens de ſubiecto in ſubiectum non migrat. Sed hoc argumentum ſimiliter tangit eos, qui ponunt concupiſcentiam eſſe peccatum originale, quæ eſt accidens, & tamen dicitur tranſmitti. Et ſimiliter eos qui ponunt hoc peccatum eſſe carentiam iuſtitiæ originalis: quam oſtendant mihi (obſecro) quomodo tranſmittatur, aut tranſfundatur. Sed quia abſurdum abſurdo non tollitur; nec ſic reiiciendo ſyllogiſmos, res declaratur; Reſpondeo quòd iuxta modum loquendi ſcripturarum dicitur transfundi aut tranſmitti peccatum actuale, nõ in ſe, ſed in ſuis effectibus. Vnde dixit Dominus Cain: Nonne ſi bene egeris recipies? ſin autem male, ſtatim aderit peccatum in foribus. Dicat igi-

tur mihi aliquis,quomodo adeſt peccatum in foribus,quod iam trāſiit, niſi in effectibus ſuis? Alio autem modo quærere transfuſionem, vanū eſt,& ī multos inducit errores ac diſputationes inanes de qualitate morbida in ſemine vel in carne generati, aut generantis: & alia, quæ iam à doctis,& non contentioſis,exploſa ſunt. Quæ ſi quis tamen velit tenere mordicus,fruatur ſuo iudicio. Nos huius ingenii non ſumus,vt magiſtrum hominem vllum compertæ & agnitæ veritati præferamus. Gratias Deo. Peccatum igitur originale Adæ manet in omnibus non renatis in ſuis effectibus. Et hoc quia peccauimus cum exiſteremus in illo omnes, quaſi in maſſa vna,& tanq̄ in lumbis eius. Nā de actualibus etiam dicimus ea tolli,vel deleri baptiſmo,aut pœnitentia. Quo modo ergo tollerētur,aut delerentur,ſi non manerēt? Manere ergo cenſentur in ſuis effectibus, puta maculæ ac reatus,quibus ſublatis, ea quoq; tolli ac deleri dicuntur. Nathan etiam dixit Dauid: Dominus tranſtulit peccatum tuum.

Septimo,Si (vt patet ex ſupradictis) habere concupiſcentiam iſtam, vel carentiam iuſtitiæ originalis,quouis modo in non renatis habet rationem culpæ & imputabilitatis, vt aliquo modo poſſit dici peccatum (ſicut aiunt multi,et ego non inficior) hoc certè habet propter peccatum primum actuale Adæ:nam propter illud,eſt hoc mihi imputabile. Ergo illud magis dicitur eſſe mihi peccatum:iuxta Philoſophi regulā. Propter quod vnumquodq; tale,& illud magis.

Octauo,Concupiſcentiam iſtam,ſiue carentiā iuſtitiæ originalis,quā dicunt iſti eſſe peccatum originale,omnes fatentur eſſe peccati originalis pœnam:non ergo ſui ipſius pœnam,ſed alterius alicuius peccati. Et non poteſt aliud fingi,quam ipſummet Adæ peccatum;ergo illud eſt vere originale.

Nono,Peccatum originale iuxta veram ſententiam ſcripturarum, & Theologorum,etiam ipſius B. Auguſtini,eſt vnum, quod eſt omnium. Sed non poteſt vnum numero peccatum commune omnium fingi, niſi illud Adæ actuale. Ergo illud eſt originale. Quod vt alio etiam modo deducatur,

Decimo, argumentor ad homines. Nullum peccatum actuale (vt vultis) eſt originale:& quodcūq; non eſt originale,eſt perſonale cuiuſq; proprium, non egrediens perſonam eius qui fecit illud. Omne autem proprium perſonale cuiuſq; non poteſt aliis nocere, nec imputabile eſſe. Illud autem Adæ nobis nocuit,& imputabile fuit, vt concilia determinarunt:quoniam imputatur nobis a Deo: Ergo non fuit perſonale Adæ proprium:Ergo fuit omnium commune:ergo originale: quia nullum aliud commune fuit vnq̄,aut poteſt eſſe commune omnium,præter originale. Nam hæc eſt vera nota peccati originalis,qua ab actualibus diſtinguitur cæteris: quia illud eſt commune:cætera vnicuiq; propria ac perſonalia. Et hæc aſſignatur ratio,nec alia poteſt aſſignari, cur illud ſolum primi Parentis peccatum,& non alia, ſiue illius, ſiue cæterorum

parentum,in nos tráſfundantur. Quòd ſi vltra quæritur: Quare illud ſolum primum Adæ peccatum,fuit commune omnium, & alia eiuſdem peccata ſolum perſonalia illius? Hic neceſſe eſt,velimus nolimus, confiteri rationem pacti diuini habiti cum Adam. Nam adiuuando quę dixi,nullum peccatum actuale alicuius propriū & non alterius, poteſt alii nocere ad mortem,niſi ipſi peccanti, dicente Domino:Anima quæ peccauerit,ipſa morietur. Et: Filius non portabit iniquitatem patris. Per illud autem Adæ peccatum actuale omnes mortui ſumus: Ergo non illius proprium,ſed commune omnium fuit:Ergo noſtrū. Sed non actuale noſtrum; ergo originale. Commune autem fuit: quia in eo negotio concluſi eramus pacto, quod præuaricante Adam, etiam nos in illo & cum illo præuaricati ſumus. Hoc qui non recipit,omninò vel Pelagianus erit, vel nihil de huius natura peccati intelliget: certè cōtra ſententias innumeras antiquorum ſentiet.

Vndecimo,vt denuò de ſcripturis ſanctis hanc ſententiam comprobemus, quæſo, Dominus ab initio præcipiens Adæ ne comederet ex eo ligno:in quacunq; autem die comederet,morte moriturus eſſet,nunquid illud præcepit ſoli Adę? an verò omnibus,quia in Adam conſiderauit eſſe omnes,hoc eſt, totum genus humanum? Si hoc negatur, cur igitur Heua dixit fuiſſe ſibi quoque pręceptum illud? Et cur ipſa quoque reprehenditur de comeſtione? Et cur etiam ex Adę comeſtione ipſa item damnata eſt ad mortem? Recepit.n.ſententiam mortis in Adā, non in ſe ipſa,vt patet in ſcriptura manifeſtè,licet pauci attendant. Nūquam enim erubuit Heua,niſi poſtq̃ comedit Adam. Deniq; hæc eſt cōmunis omnium ſententia,videlicet,quòd Adā ſuſtinebat perſonam omnium quando fuit illi dictum, Ne comedas: quandocunq; autem comederis, morieris. Sicut igitur recipiens pręceptum in perſona omnium, ipſe vnus quaſi omnes eſt reputatus, & ita omnes in eo recepiſſe præceptum credendi ſunt (quia eramus in illo) ita & ipſo præceptum illud tranſgrediēte per illud actuale peccatum, etiā nos ſimul cum illo tranſgreſſi eſſe legitima interpretatione exiſtimamur: quoniam in illo eramus & ſecundum corpulentam ſubſtantiam,& ſecundum Dei pactum & legem.

Duodecimo,Dominus Deus inferens Adę incommoda,quę ex peccato originali venerunt, proculdubiò comprehendit omnes ex eo propagandos. Quare illum alloquens,omnes creditur eſſe alloquutus Qui autem hoc negat, ipſe Pelagianus eſt, non Chriſtianus. Dixit autē Adæ Dominus: Quia audiſti vocem vxoris tuæ,& comediſti de ligno,de quo præceperam tibi ne comederes,maledicta terra &c. Si ergo pœnarum hæc genera in Adam coniecta ad omnes pertinere nemo negat; ergo & ipſa cauſſa horum malorum,quam expreſſit Dominus dicens:Quia comediſti de ligno,etiam pertinere debet ad omnes:ne ſententia Dei damnans reddatur iniqua,non habens cauſſam communem & rationē quo ad omnes,quos tamen pœnis complectitur. Mitto quod eſt abſurdum

diuidere ſermonem Dei,vt pars, id eſt, cauſa inflictionis pęnarum perti-
neat ſolummodo ad perſonam Adæ, ipſa verò illa pęnarum inflictio ad
omnes. Et ſic ex parte ſit allocutus Adam vt gerentem perſonam ſuā
tantum;Ex parte autem vt ſuſtinentem perſonam omniū : quæ ſunt ab-
ſurdiſſima.

Ex quibus omnibus tandem vt cuiſtum concludo,quòd cuncta quę
ſunt de ratione peccati ſiue culpæ,quale eſt peccatum originale, & cun-
ctæ peccati originalis verę notę ac famigeratæ, quibus a cæteris actua-
libus diſtinguitur,conueniunt huic noſtræ eius peccati deſcriptioni, &
nō alteri.Tota.n.ratio veri peccati cuiq; imputabilis,eſt (ſicut diximus)
vt ſit actus,& actus contra legem Dei,& voluntarius,& quòd potuerit ca-
ueri,& ab eo ſit patratus cuius eſſe peccatum dicitur. Hæc autem om-
nia conuenire peccato originali,ſicut illud accipimus,certò patet,ſi ſin-
gula cōſideremus,præter vltimam particulam. Vnde multi conturban-
tur:& propterea ſcinduntur in varias ſententias. Sed non oportebat.

Quo pacto uerè poſsint filii Adæ dici peccaſse in illo.

CAuſſa autem conturbationis hæc eſt:quia pleriq; non apprehen-
dunt qua veritate ego dici poſſim aliquid feciſſe,eò quòd illud pa-
ter meus fecerit, idq; eo præſertim tempore, cum nondum eſſem. Sed
ignorant hi rerum naturā,qua fit vt filius portio patris cenſeatur.Igno
rant & vim pactorum:& naturale eſſe,filios in ipſis parentibus obligari.
Deniq; Dei ignorant ſapientiam,qua prouidētiſſimè factum eſt, vt ex il-
lo vno patre noſtro ſors ipſa noſtra penderet,cū ipſe eſſet plaſma Dei,
Deo chariſſimū,& ideo dignum vt illius cōtemplatione cuncti,qui ex il-
lo procederent,dona acciperent,ſi tamē ſtetiſſet ille. Sicut igitur ſi ſte-
tiſſet ille,& nos etiam cenſiti fuiſſemus ſtetiſſe cum illo; ſic eo cadente, &
nos cum illo ſimul verè dicimur cecidiſſe auerſi a facie Dei,ſicut ſcriptū
Eſai.64. eſt. Cecidimus ſicut folia vniuerſi. Si cecidimus,aliquando ergo ſteti-
mus prius: Sicut ergo ſtetimus donec ſtetit ille;ita cadente illo,verè ce-
cidimus & nos. Nec debet hic modus loquendi contemni,cum in ſcri-
pturis,& ſanctorum doctrinis frequenter habeatur. Dicit enim ad Hebr.
B.Paulus,quòd Leui fuit decimatus exiſtens in lumbis patris Abraæ: qđ
eſt dediſſe decimas Melchiſedech. Dedit autem ille, proculdubio dan-
te illas ipſo Abraam,vt ait Apoſtolus. Quid igitur obſtat huic dicto, vi-
delicet, quòd ſimiliter ego dicar comediſſe & peccaſſe comedente patre
illo noſtro Adam & peccante? Nam hoc D. Baſilius non timuit dicere.
Quia enim non ieiunauimus (inquit) exulamus.

Nec decipiatur quis propterea quia dixit Apoſtolus,Quòd mors re-
gnauit in eos,nimirū pueros,qui non peccauerunt in ſimilitudine præ-
uaricationis Adæ, ideſt, non peccauerunt ſimiliter ſicut Adam. Vnde
videtur conſequens,quòd alio peccato peccauerint. Et cum non aliud

peccatum poſſint habere pueri,niſi originale, videtur quòd aliud ſit originale,aliud actuale Adæ. Hic mitto quòd aliter legit atq; legendum eſſe etiam cõtendit D.Ambroſius,ſcilicet,abiecta negatione; Non; quæ lectio faceret pro nobis. Deinde,quòd etſi ita legatur ille locus, aliam tamen recipit interpretationem. Sed nolo vti iure meo in diſputatione: volo fateri argumentum,de quo nihil aliud ſequitur,niſi quòd verè nõ ſimiliter peccauimus ſicut Adam, licet illo eodẽ actu peccauerimus: quia ipſe peccauit illud proprio conſenſu, nos autem ſuo,ideſt, quatenus in illo eramus,ſicut omnes dicunt. Nihil enim prohibet idem peccatum committi à pluribus,non tamen ſimili modo. Nam agentes & cõſentientes idem peccatum peccant; & tamen non ſimiliter,vt patet.

Et ex hoc ſoluitur argumentum,ſi quis fortè dixerit:Si noſtrum originale eſt illud Adæ actuale: ergo igni perpetuo dedendi ſumus: quia actualis peccati pœna,eſt ignis æternus. Reſpondemus enim,quòd argumentum procederet,ſi nos illud peccatum peccaſſemus ſimili modo atq; ille,videlicet,proprio conſenſu. Verum quia non ſimili modo;idcircò nec ſimili pœna. Mouit autem quendam,quòd ſi noſtrum peccatum originale ſit actuale,non baptiſmo, ſed pœnitentia tolleretur. Quaſi verò actualia,quæ præceſſerunt,non tollantur baptiſmo. Obiectant etiam aliqui: Quoniam ex ſcholaſticorũ doctrina diuiditur peccatum in actuale,& originale. Non poteſt ergo(ſi diuiſio vera ſit)eſſe originale,quod eſt actuale. Et nos dicimus eſſe hæc ſcholaſtica,& poſſe ad ſenſum verum reduci:quia per actuale intelligitur cuiuſq; proprium:originale autem illud,fuit actuale commune. Sed tædet ſuper his & huiuſmodi laborare.

De notis originalis peccati.

VEniamus ergo nunc ad notas peccati originalis veras & famigeratas,quibus à cæteris actualibus diſtinguitur. Ecce,prima & maxima nota ab hoc accipitur,quòd originale dicitur, vt à cæteris peccatis diſtinguatur,quorum nullum eſt originale.Itaq; videndum quid ſignificet quod dicimus,qũum hanc notam peccato adiicimus,dicentes originale. Et certè hoc primùm ſeſe offert,vt ſignificet ipſum peccati autorem,in quẽ peccauimus omnes: quia fuit origo noſtra. Et ideò dicitur peccatum originis: quia ipſe Adam origo noſtra commiſit illud.Verum quia hoc non ſatis eſt vt conſtituat originale peccatum (potuit enim Adam origo noſtra alia peccata committere, quæ tamen non fuiſſent originalia,nec in nos trãſmiſſa)ideò oportet amplius addere,aut potius declarare,quòd peccatum originale eſt illud quod ipſe Adam pater noſter,origoq; noſtra commiſit inq̃tum pater,& inquantum erat origo noſtra,hoc eſt,vt principium omnium noſtrum,& vt continens nos omnes in vi mandati ac pacti in ſemetipſo. Et hęc nota pulchrè pertinet ad il-

Nota ad definitionẽ peccati originalis.

lud peccatum,iuxta acceptionem noſtrã,vnde & originale dicitur; quia cum ſit commiſſum ab illo tanq̃ origine noſtra,eſt vnum & cõmune omniũ,quod in nos etiã originaliter,hoc eſt,quod ab ipſa origine Adamo propagatione transfertur: ſicut eleganter.S. Synodus Tridentina declarauit,dum dixit; Quod origine vnum exiſtens,propagatione tamẽ trãſfuſum in omnibus ineſt vnicuiq; proprium,nimirum vt viuat in effectibus ſuis. Aliæ autem notę originalis peccati ab iſta deſcendunt,& conueniunt huic modo dicendi. Hæc igitur eſt nota,quòd hoc ſolũ peccatũ eſt illud,quod cum ſit vnum,& ab vno tm̃,illius propria volũtate patratum,eſt nihilominus etiam commune omnium:quod vere dici non põt de mea,vel alterius concupiſcentia, quæ numero plures ſunt, & quęlibet eſt perſonalis cuiuſq;,nõ communis:nec transfunditur ex vno in alterum,ſicut quod dicitur originale peccatum. Vnde & peccatum naturæ illud ſolũ vocatur,eò quòd natura ipſa quodãmodo illud viſa eſt admittere,cum peccauit ille, qui humanam omniũ naturam in ſemetipſo, & in hoc facto geſtabat. Et ob hanc rationem ille homo magno myſterio Adam vocatus eſt,id eſt,homo,vt nomẽ totius ſpeciei eſſet etiam illi proprium. Quod enim hoc peccatum ſit numero vnum,manifeſtum eſt ex B. Paulo,qui dixit: Et non ſicut per vnum peccatũ,ita & donum. Nam iudicium quidem ex vno in condemnationem:gratia autẽ ex multis delictis in iuſtificationem. Quòd autem hoc vnum numero, fuerit etiam multorum,& ita ſparſum in plures,imò in omnes in effectibus ſuis (ſalua ſemper Beatiſſimæ & immaculatiſſimæ VIRGINIS Matris Dei prærogatiua) idem Apoſtolus docet,dum ait: quòd hoc peccatum intrauit in mundum,& per illud mors,& cæteræ pœnæ.

Quòd præſcripta doctrina, præter rationes & ſcripturas, habet etiam teſtimonia patrum, & præclariſsimorum doctorum.

NVNC ERGO QVOD SECVNDO LOCO TRActare propoſueram, agendum eſt, videlicet, hanc doctrinam de ſubſtantia originalis peccati,non eſſe meam, neq; nouam. Quæ tamen ſi mea eſſet,me eius minime pęniteret. Oſtendi enim primum hanc poſitionem eſſe ſecundum B. Pauli doctrinam,& ſcripturarum intellectarum non meo,ſed catholico ſenſu,& illo quidem in conciliis comprobato. Non igitur mea eſt hæc ſententia,ſed conciliorum,& (vt ipſamet concilia teſtantur) omnium catholicorum. Deinde oſtendo nunc eſſe ex mente D.Auguſtini,qui frequentiſſime de hoc originali peccato loquens,nunq̃ aliud eſſe putauit,q̃ quod Adam admiſit. Ecce in Enchirid. c. 44.&.45.vocat manifeſtè originale Adæ illud peccatum, quod fuiſſe

vnum, & tamen dici poſſe numero plura propter plures deformitates; ita manifeſtè declarat,vt mirer magnos viros nō animaduertiſſe,& aliud ex illius doctrina exiſtimaſſe. Nam hoc idem in libro tertio de libero arbitrio c.19.clarè docet. Et quoties dicit quòd omnes peccauimus illud Adæ peccatum,quia in illo continebamur omnes quaſi vnus? Vnde ait:Siue dicamus,In quo Adam;ſiue,in quo peccato;ſanum eſt: quia ſicut ab illo homine vno, ſic ab illo vno peccato immunes eſſe non poſſent. Videat qui vult hunc glorioſum Doctorem in lib.de mer.& re.pec.& in lib.de corr.& gr.ca.10.& libr.6.contra Iulian.& certò perſpiciet B. illum virum ita hunc ſenſum expreſiſſe, vt nullus valeat quauis argutiola(niſi impudenti) tergiuerſari. Sed pręſtat afferre eius verba ex lib.4.c.4.cōtra duas epiſtolas Pelagianorum,vbi ait: Aut enim in illo homine peccauerunt omnes: & ideò dictum eſt,In quo omnes peccauerunt:quoniam quando ille peccauit,in illo erant omnes; Aut in illo peccato peccauerūt omnes: quia generaliter omnium factum eſt,quod naſcentes erant tracturi omnes. hæc ille.Et in lib.3.cap.7.de pec.mer.& rem.in hunc modum ſcribit.Nec illud liquidè dici poteſt,quòd peccatū Adæ etiam non peccantibus nocuit,cùm ſcriptura dicat;In quo omnes peccauerunt. Nec ſic dicuntur aliena peccata,tanq̄ omninò ad paruulos non pertineant: ſiquidem in Adam omnes tunc peccauerunt,quando in eius natura,illa inſita vi,qua eos gignere poterat,adhuc omnes, ille vnus fuerunt: ſed dicuntur aliena,quia ipſi nondū agebant vitas proprias;ſed quicquid erat in futura propagine, vita vnius hominis continebat.Hęc ille. Quid iis poterat dici clarius,niſi velit homo ſeipſum excęcare proteruiens? Illud ergo vnū Adę peccatū,eſt omniū noſtrū,quod in illo exiſtētes cōmiſimus:& illud verè eſt originale:quia in ipſa origine cōmiſimus. Nec puto ꝙ B. Auguſtinus dixerit vllo in loco,concupiſcētiam eſſe peccatum originale,tametſi dixerit eſſe peccatum. Illud autē frequentiſſime dixit,quòd erat illius peccati pœna, quod Adam origo noſtra commiſit,& quod ipſe etiam vocat originale. Concupiſcentia autem ideò dicitur eſſe peccatum,quia de peccato illo liberæ volūtatis originem ducit. Ego autem quid aliud dico? nihil profectò aliud, niſi quòd vnum illud Adæ peccatum, non illi proprium,ſed commune fuit omnium noſtrum,& originale:quia per illud peccatores omnes conſtituti ſumus,non imitatione, ſed propagatione: quia quùm naſcimur ex Adam illo,ſtatim deprehendimur,& olim ipſo peccante fuiſſe in illo, & peccaſſe cum illo.

Eſt & ſententia B. Baſilii hoc ipſum ſatis indicans, cum dixit: Quia non ieiunauimus, exulamus è paradiſo. Quid eſt quod ait; Non ieiunauimus,niſi quòd comedimus de interdicto illo pomo? At hoc eſt illud Adæ peccatum.

In hom.de Laudibus Ieiunii.

B.Chryſoſtomus ſuper.cap.5.ad Rom.tractans illud: Vſq; ad legem peccatum erat in mundo, ait, Peccatum eo in loco non legis Moſaicæ eſſe tranſgreſſionem, ſed primi hominis inobedientiam,quæ cuncta va-

ſtauit. Ecce quid expreſſius pro peccato originali,quod eſt inobedientia primi hominis? Nam de originali peccato eſſe ibi ſermonē omnes Catholici confitentur,vt dictum eſt. Et paulo poſt manifeſte dixit,q̃ cętera illius peccati,meræ pœnæ ſunt: licet non quæſtionem plane deciderit. Vnde quidam ad errorem acceperunt anſam; nimis rigidè inſiſtentes in litera.

Item B.Leo papa Epiſt.84.non intelligi locum B.Pauli, niſi de originali peccato,multis & planis verbis oſtendit,quæ hic longum eſſet recenſere.

B.quoq; Hieronymus in Comm. Super Oſeā cap.6.vbi legitur.Ipſi autem ſicut Adam tranſgreſſi ſunt pactum: ibi præuaricati ſunt in me. hoc ipſum docet quod nos.

In ſermo. de cena Dñi — B.etiam Bernardus.Dixi vobis,inquit,ſæpius,nec mente excidere debet:quoniam in caſu primi hominis cecidimus omnes: Vnde non ſolum inquinati,ſed vulnerati & quaſſati ſumus. Ecce q̃ in caſu primi hominis dicimur cecidiſſe. Quid autem hoc eſt, niſi nos illo peccante peccaſſe? Nec ego dubito quin Tractatores omnes veteres eundem ſenſum habuerint.

Nunc ad Scholaſticos accedo, qui & ſi magiſtraliter multa dixerint, quæ poſſint merito in diſputationem venire; tamen cum de ſcripturis loquebantur,aut ſubtilius de radice huius peccati conſiderabant;ea tandem prorſus docent,quæ ego dico.

1.2.q.81. ar.1. — B. Thomas ſuper hoc peccato diſputans in Summa,ſic ait. Secundum fidem catholicam eſt tenēdum,quod primum peccatum primi hominis originaliter tranſit in poſteros. At hoc eſt quod nos dicimus. Illud enim quod tranſit in poſteros, eſt originale. Et hoc eſt illud primū primi hominis,quod fuit actuale,vt ipſemet S.Doctor explicat ſatis clarè. Et ibidem,alia tamen quæſtione,dixit. Peccatum originale potiori modo fuit in Adam:quia fuit in illo ſecundum rationem actualis peccati.Hæc ille.Ex quibus ſatis colligere licet,quòd Adam habuit originale peccatum. Et certè non aliud q̃ noſtrum; quia reuera non ſunt plura originalia peccata. In hoc tamen differt, ait, illud peccatum quatenus fuit in Adam,à ſemetipſo quatenus fuit in nobis: quia in illo habuit rationem actualis culpæ: quia ſua propria voluntate illud admiſit. In nobis autem non ita: quia non propria,ſed illius dicimur voluntate commiſiſſe illud. Hæc eſt doctrina B. Thomæ & noſtra, de qua etiam ratio manifeſtè exprimitur,quare hoc peccatum pariebat illi æternum ignis ſupplicium,non autem nobis.

B.quoq; Bonauentura dixit. Adam peccauit inq̃tum erat omnium hominum principium. Item dixit. Peccatum originale contrahimus: quia in Adam peccauimus eo modo, quo in ipſo eramus. Hæc certè verba non aliud porrigunt,niſi quod ego aſſero,videlicet,quòd originale noſtrum peccatum primò & principaliter fuit illud Adæ. Quod ſi aliud differendo poſtmodo docere videntur,quid hoc ad me?

Caietanus

Caietanus victus tandem à veritate, ſuper illa ad Roma. capit. 5. hæc verba ſcripſit ad literam. Eſt hic, inquit, ſermo de peccato Adæ, quod ſimul actuale fuit, & originale. Quid clarius?

Addo & albertum Pighium, qui explicitè atq; ex propoſito, eodem modo originale peccatum declarat. Quanq̃ circa hunc articulum in pluribus (meo quidem iudicio) vehementer fallitur, & quædam Pelagiana aduerſus B. Auguſtinũ indigne atq; iniuria defendere nititur & probare. Non enim ſatis agnouit vitium, & corruptionem naturæ noſtræ propter illud peccatum: nec penetrauit diſtinctionem naturę, & differẽtiam, quę eſt inter naturam integram, quam fecit Deus, & lapſam atq; corruptam, quam fecimus nos peccantes.

Nec me latet nonnullos etiam noſtræ ætatis autores editis opuſculis hanc noſtram ſententiam comprobare definitione clara, quæ noſtra non eſt, ſed ſcripturarum, & veterum doctorum. Sed vidi (ni fallor) q̃ de vitio naturæ, quod ineſt nobis ex illo peccato, & de proprio eius reatu, non ea ſcripſerunt, quæ planè conueniant, & quæ ſatisfaciant. Ideò nec nominabo autores: ſolum rem ipſam ſimpliciter declarabo.

De innocentia primi hominis, & ſtatu illo perfecto.

VT igitur totum hoc vitium ampliore declaratione notum fiat & perſuadeatur; pono plura. Primum, q̃ ſapientiſſimus Dominus ab initio fecit hominem rectum, & ipſe ſe infinitis immiſcuit quæſtionibus. Hæc autem rectitudo nihil aliud erat, q̃ gratia & iuſtitia, quibus homo non ſolum erat bene diſpoſitus cum Deo ad lucrum æternæ fęlicitatis ſupra ſui naturam; verum etiam ſecundum q̃ homo, ita erat compoſitus manu dei, vt mira in omnibus partibus reſultaret harmonia, trãquillitas, & ſuauiſſima pax: ita vt ſuperior pars mentis, à naturali ſuo affectu diſtracta, copularetur Deo factori ſuo. Pars item inferior ſenſitiui appetitus mirificè obediret menti, non abſtrahens illam à bono, non alliciens, aut quouiſmodo trahens ad malũ. Sic & aliæ corporis vires, & cuncta membrorum officia, incredibili obedientia ſecundum ſibi pręſtitutum ordinem (ſicut decebat) inferiora ſuperioribus obtemperabãt. Corpus autem ipſum, quod ex ſe erat mortale, Dei tamen protectione & prouidentia non erat moriturum. Quare in illo ſtatu rectè dicebatur natura hominis integra. Et hoc eſt ſuppoſitum noſtrum, iuxta communem Sanctorum doctrinam.

Secundo pono, Quod homo ille Adam, qui huiuſmodi dona accepit, per quæ non ſolum ſupra naturam ſuam eleuabatur (hoc enim fiebat per gratiam) verum etiam in ſua natura optimè diſponebatur per iuſtitiam illam primæuam, non pro ſe tantum accepit ea dona, ſed pro ſe, & vxore ſua, & cuncta poſteritate. Et ideo obligauit ſe, & omnes poſteros ad retinenda illa, & fructus etiam eorum reddẽdos tempore ſuo.

Hoc autem non ego dico, ſed doctores omnes dicunt, ſicut etiam fateri omnes oportet. Vnde & ii qui definiunt Carentiam originalis iuſtitiæ eſſe originale peccatum, adiiciunt; cum debito habendi eam. Quod debitum, niſi ponatur pactum, fingi non poteſt.

Tertio pono, Quòd cum ego aliquid ex lege Dei obligatus ſum habere, & non habeo: aut obligatus ſum non habere, & habeo; non male dicor peccare. Hoc enim, ideſt, habere quod teneris non habere, & ecõuerso, non habere quod teneris habere; ſonat actum inordinatum contra legem. Sicut qui habet concubinam, quam tenetur non habere: Et qui dimiſit vxorem, quam tenetur habere, vterq; peccare dicitur. Hoc tamen verum eſt, quando id quod obligatus ſum habere, non habeo ob meam culpam: quia flagitioſè illud depuli à me, aut amiſi. Si autem abſq; mea culpa non habeo quod tenebar habere: aut habeo quod tenebar non habere; proculdubiò imputari mihi ad peccatũ non debet.

Quomodo filiis Adæ habere concupiſcentiam poteſt dici peccatum.

HIS igitur ſuppoſitis, & exorto peccato, & conſequenter amiſſis donis innocentiæ priſtinæ; vnde carnis concupiſcentia & dominatus conſequitur, dico primò, Quòd proprie & rectè loquendo, nó poteſt dici de concupiſcentia iſta, quod ſit peccatum ſiue culpa: quia non eſt actus, ſed potius ſimile quid habitui; de quo verius & magis propriè dicitur quod eſt vitiũ, & morbus, & languor, aut quid huiuſmodi. Habitus enim non dicuntur peccata, ſed vitia, ſi mali ſunt. Non enim (vt B. Thomas docet) habitibus demeremur, aut meremur, ſed actibus, vel agentes aliquid, quod debemus non agere: vel omittentes quod agere debemus. Nam omiſſio ſub peccato commiſſionis concluditur, vt recte docet idem S. Doctor.

Secundo dico, Quòd homini filio Adæ habere iſtam concupiſcentiam eſt peccatum. Probo ex ſuppoſitis. Ipſe enim tenetur non habere illam. Et hoc probo: quia tenetur habere originalem iuſtitiam, quã ſi haberet, non haberet concupiſcentiam. Quo in loco protuli accommodatiſſimum pellicis exemplum, de qua ſi rogemur, nũquid illa ſit peccatum? Abnuimus. Si autem rogemur, an habere illam peccatum ſit? Annuimus. Sic de huiuſmodi concupiſcentia, quæ naturaliter nobis adiacet, ſi rogemur vtrum ſit peccatum? Reſpondemus, Non: Sed potius vitium quoddam & morbus. Sin autem rogemur, An habere iſtam concupiſcentiam ſit peccatum? Hoc omnino negare non poſſumus in non renatis: ac per hoc nonnullo modo poteſt dici eſſe peccatum habere concupiſcentiam iſtam, & illa iuſtitia carere; quia tenebamur habere illam iuſtitiam, & per hoc carere illa concupiſcentia. Nam

quicũq; non habet ſua culpa, quod habere tenetur; Et econuerſò, quicunq; habet ſua culpa, quod non habere tenetur, peccatum eſt illi.

At hoc in loco, poſſet me quis interpellare ac dicere, me mihi ipſi aduerſari. Si enim habere concupiſcentiam puero eſt peccatum, & nõ actuale, ergo originale. Si igitur hoc eſt originale, ideſt, habere concupiſcentiam; Ergo non illud, videlicet, comedere de ligno. Non.n. ſunt duo peccata originalia, ſed vnum. Acutum ſane argumentum prima facie: Attamen conſideranti, nihil obſtat. Primò enim dico id eſſe falſum quod ſumitur, videlicet, habere concupiſcentiam non eſſe actuale peccatum etiam in puero. Quòd ſi dicant: Quo modo poteſt actuale peccatum in puero inueniri? Reſpondeo. Quid ni poſſit? An non ſunt actus in puero? Nonne eſt aliquo modo actus, habere illud quod non debet habere? Dicent: Sed non eſt voluntarius actus in eo. Bene: Et tamen voluntarius aliquo modo. Alioqui, quomodo ergo ipſi inueniunt imputabile peccatum in puero, quodcunq; ſit illud, cum omne peccatum ſit voluntarium? Soluant mihi hoc: & ego illud ipſorum viciſſim ſoluam. Non poſſunt autem ſoluere, niſi per hoc, quòd eſt voluntarium puero voluntate primi parentis ſui Adæ, vt ait B. Auguſtinus & D. Thomas. At hoc eſt quod ego dico. Iccircò, non habere iuſtitiam, & ſic habere concupiſcentiam, eſſe peccatum puero: quoniam cõputatur hoc inter actus voluntarios, voluntate tamen primi parentis. Quòd ſi negatur, iã lis mecũ nõ eſt futura, ſed cũ B. Auguſtino D. Thoma, multiſq; aliis, qui hac via ſoluunt huiuſmodi argumentum, nec eſt alia prorſus vlla. Non autem propterea probamus Lutheranos, aut quoſcunq; alios, quos B. Auguſtinus meritò cum deteſtatione admiratur; qui etiam in pueris ponebant actuale proprium peccatũ, & ex ſeipſo imputabile: quod humana ratio probare quouis modo non poteſt. Nos autem dũtaxat originale docemus in eis, & vim illam illius antiqui peccati.

Dicet ergo rurſum aliquis. Nos bene fatemur, quòd habere hanc concupiſcentiam puero eſt peccatum & originale, & ob hoc negamus illud actuale Adę eſſe originale, ne cogamur plura peccata originalia ponere. Ego verò reſpondeo, non rationabiliter hoc negari. Nam hoc, id eſt, habere concupiſcentiam, ideò eſt peccatum puero: quia comediſſe illud pomum, prius fuit illi peccatum, ac propterea dignum eſt vt illud magis peccatum dicatur, propter quod hoc habet vt ſit peccatum. Nec propterea ſequitur plura eſſe æquè peccata originalia, tametſi pluraliter ſcriptura dicat: Ecce.n. in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea: Sicut habet vulgata editio. Nam reuera non ſunt plura peccata originalia, ſed vnum, ex quo multa mala, quorum nonnulla, cum ferant ſecum rationem imputabilitatis & peccati (ſicut eſt habere hanc concupiſcentiam) etiam poſſunt dici aliquo modo peccata, non ex ſe, ſed propter illud primum. Nam propter illud imputantur, vt omnes volunt, vt ſic dicãtur magis vnum, q̃ plura: Quo-

niam ex regula Ariſtotelis. Vbi vnum propter aliud, ibi magis vnum. Quapropter etiam B. Auguſtinus plurali numero originalia vocat peccata, quæ baptiſmo tolluntur.

Addam & alium locum B. Auguſtini mirificè in hac parte nobis fauentem, de libero arbitrio lib. 3. cap. 19. vbi loquẽs de naturali ignorantia & concupiſcentia, quæ à peccato illo acciderũt, ſic ait. Illud quod ignorans quiſq; non rectè facit; et quod rectè volens facere non poteſt, ideo dicuntur peccata; quia de peccato illo liberæ voluntatis originẽ ducunt. Illud enim præcedens meruit iſta ſequentia. Nam ſicut linguam dicimus non ſolum membrum quod mouemus in ore, ſed etiam illud quod huius membri motum cõſequitur, id eſt, formam tenoremq; verborum, ſecundum quem modum dicitur alia lingua græca, alia latina: Sic non ſolum peccatum dicimus, quod proprie vocatur peccatũ (libera enim voluntate, & à ſciente committitur) ſed etiam illud, quod iam de huius ſupplicio conſequatur neceſſe eſt. hæc ille. Ecce vt vult non propriè peccata eſſe, quæ ex illo vno venerunt; ſed ſic dicuntur, eò quòd ex illo originem traxerunt.

Quòd ſi quis dixerit. Si habere concupiſcentiam dicitur eſſe (quis improprie) peccatum: etiam habere ignorantiam; quæ ex peccato venit, dici poteſt eſſe peccatũ, & ita de aliis pœnis, puta habere corpus mortale & corruptibile: quod eſt abſurdum. Reſpondeo; De ignorantia B. Thomas nõ negat materialiter pertinere ad rationem peccati. Reliqua autem mala, quibus corporaliter plectimur, non ita dicuntur peccata: quia in eis non ſic apparet illius peccati malitia, qua & amplius reddimur habiles ad peccandum, ſicut accidit à fomite, & ignorantia boni, vt B. Auguſtinus declarat. Vnde B. Paulus: Cum eſſemus in carne, inquit, paſſiones peccatorum operabantur in membris noſtris &c. Sed & ſuperius vocauit corpus peccati vniuerſum malũ, quòd ſub illo primo peccato comprehenditur; Vt nõ falsò plura illud intelligatur fuiſſe peccata, quæ illud vnum continebat, ſicet reuera illa omnia in ſemetipſis ipſe B. Auguſtinus vocet pœnam peccati, vt concupiſcentiam, & ignorantiam, quas tamen facit inexcuſabiles, donec viget in nobis peccatum illud primum Adæ, quod eſt commune. Videat qui vult ipſum Doctorem in epiſtola ad Xiſtum. 105. circa medium.

Quòd ſuperius declarata doctrina eſt catholica, & à pelagiana, & Lutherana valdè diſtans.

ILLVD igitur Adæ peccatum, noſtrũ fuit, quatenus in illo propter pactum continebamur: quare etiam nobis merito imputatur, quia per illud nobis adeſt illud concupiſcentiæ uitium, quod tenebamur nõ habere. Qui hoc negat, ille vere pelagianus eſt. Nec eſt abſurdum di-

cere, illud peccatum eſſe meum, & iccircò illud mihi meritò imputari. Illud potius abſurdum, imò & blaſphemũ, dicere imputari mihi aliquod peccatum, quod non ſit meum. Imputatur.n.mihi proculdubio illud Adæ peccatum; ergo etiam meum fuit, donec ego renaſcar in CHRISTO per fidem & ſacramentum. Vnde Apoſtolus expreſſè teſtatur ex pſalmo, beatum eſſe virum, cui non imputauit Dominus peccatum. Itaq; huius contradictorium dicere, videlicet, quòd illud peccatum in renatis imputetur; ſimiliter eſt blaſphemũ, & cõtra gratiam CHRISTI, & Lutheranum reuera, cum ipſi aſſerant manere peccatũ poſt baptiſmũ, et in Chriſto renatos eſſe verè peccatores. Verùm quòd hoc peccatum non imputetur nobis propter Chriſti iuſtitiam nobis imputatam per fidem & ſacramẽtum, veriſſimè aſſeritur à quocunq; aſſeratur. Et vtinam non aliud dicerent Lutherani. Non enim propterea eſſent hæretici: quia illud dicerent, quod ipſe B. Paulus dicit. Sicut per vnius inobedientiam, videlicet Adæ, peccatores conſtituti ſunt multi; ita per vnius obedientiam iuſti conſtituẽtur multi. Etenim ſicut per illius Adę peccatum, quod fuit inobedientia, & fuit noſtrum: quia nobis imputatur propter carnem, ſecundum quam naſcimur filii peccatoris, facti ſumus iniuſti & peccatores omnes nos: Ita per CHRISTI obedientiã, quę per fidem & ſacramentum nobis applicatur & imputatur, efficimur iuſti vere; quia obedientia illa CHRISTI facta eſt mea ad hunc effectum: quia per illam mereor remiſſionem illius peccati, & cæterarum etiam tranſgreſſionum præteritarum, vt non vlterius mihi imputentur. Fit autem remiſſio hæc peccati mihi meritoriè quidem per ipſius CHRISTI obedientiam, quam mihi donat, vt non vlterius mihi illa imputetur Adæ inobedientia: ſic æqua lance re diſpoſita, vt obedientia inobedientiam tollat. Non imputata autem mihi illa Adæ inobedientia, redeo in primam gratiam cum Deo, qui per Spiritum.S. infundit mihi donum charitatis mũdantis animam, & ſanctificãtis illam lauacro ſancto per verbum vitæ, vt ſim verè iuſtus coram illo formaliter, non per eam Chriſti iuſtitiam mihi imputatam (nam hoc inſanum eſt, & ridiculũ dicere; quod tamen Lutherani dicunt, & in eo diſſentiunt à Catholicis) ſed per donum iuſtitiæ ſiue charitatis deſuper infuſum mihi per Spiritum Sanctum, quo tollitur peccati antiqui macula, & omnis reatus, & malũ, inq̃tum eſt illius veteris peccati pœna, vt quodcunq; nobis ſuperſit malitiæ ex effectibus illius peccati, ſicut eſt fomes, & multa corporis & animæ incommoda quæ manent, hoc totum ad exercitium maneat ac meritum, & non ad pœnam. Itaq; verè non imputatur mihi peccatum illud, & hoc per imputatam mihi Chriſti iuſtitiã, & verè remittitur; quia omninò aufertur macula, & nihil in me manet, quod verè habeat rationem culpæ & imputabilitatis propter donum iuſtitiæ & gratiæ infuſum in corde meo: quod donum quæſiuit mihi illa mihi imputata, & per donum illud mihi applicata Chriſti iuſtitia ex fide & ſacramento. De qua re inferius ſuo loco. Quamobrem ego ex diametro omni parte oppo-

no me Lutheranis,qui negāt hanc formalem coram Deo iuſtificationē, & innituntur tantum in iuſtitia imputata non inhærente, volētes in nobis adhuc manere peccatū,& operari adhuc paſſiones ſuas in membris noſtris lætaliter; ſed illas non imputari à Deo ſolummodò propter Chriſtum,ſpernentes omnem nobis inhærentem iuſtitiam:tanq̄ qui ſunt in Chriſto; adhuc ſint in carne, & peccatores. Quæ doctrina, (vt pote quæ B. Paulo maxime aduerſetur) digna eſt anathemate, ſicut eam in omnibus meis libris vitupero & deteſtor; & in multis B. Pauli & aliarū ſcripturarum ſententiis manifeſtiſſimis abundè diſputans reprobo.

De pœnis originalis peccati.

POſtq̄ ergo iam de natura huius peccati vidimus;nunc de illius pęnis eſt conſiderandum, vt vltimum ſibi locum vendicet ſermo de remediis eius. Redigendo autem pœnas in ſua capita dicendum eſt,pœnam illius peccati eſſę vnam,quę plurimas in ſe claudit,videlicet,deſpoliationem donorum,quæ ſignificata eſt vocabulo mortis. Sic enim dixit Dominus: Quacūq; die comederis, morte morieris. Quo verbo ſignificauit proculdubiò expoliationem omnium donorum, quæ iam collata erant ipſi Adæ,& vxori eius; & decreta erant ad vtranq; hominis vitam, vt per eos transfunderentur in poſteros. Qua deſpoliatione ſtatim apparuerūt inflictę in naturam plagæ,vt homo per eas interim ſemimortuus relictus dicatur, ſicut ſumma Sapientia,quę bene nos nouit,paucis in ſua parabola de homine qui ab Ieruſalem in Ierichο deſcendens incidit in latrones, perſtrinxit. Sed videamus modo de ſingulis.

Cogitet lector,ꝙ ſicut eſt duplex vita qua viuit homo, videlicet,vita animę,& vita corporis:ita etiam duplex eſt mors animę,ſcilicet,& corporis. Et de vtraq; Dominus intellexit, cum dixit: Quacumq; die comederis,morte morieris. Rurſum,quoniam vita animę duplex eſt,vna illa ſupernaturalis,altera naturalis. Supernaturalis vita eſt, quę accedit vitæ ipſius naturæ,& conſiſtit in cognitione bonorum cęleſtium, & in dono gratiæ,qua homo afficitur charitate in Deum,quem agnoſcit beatificatorem ſuum,& ipſe tendit in illum ad acquirendum ipſum per obedientiam mandatorum,quæ obedientia,quaſi cibus,conſeruat hanc vitam gratiæ. Vnde ſcriptum eſt: » Non de ſolo pane viuit homo, ſed de » omni verbo,quod procedit ex ore Dei. Hanc verò vitam gratiæ & charitatis ſupernaturalem, quam Dominus Deus, ſi pater noſter Adam ſtetiſſet ſeruans mandatum, nobis erat collaturus, ſicut continebatur in pactis; illo peccato amiſimus: quia peccauimus in eo, in quo concluſi eramus pacto diuino,ſicut iam declaratum eſt. Igitur ſpoliati hoc dono gratiæ, inuenti ſumus inimici Dei, iuxta hanc amicitiæ rationem, quæ conflatur per donum charitatis: quod tamen donum ipſi Adæ & nobis decretum erat in CHRISTO, per cuius ſpiritum in hanc

amicitiam veniebamus & vitam. Priuati ergo hoc dono paterna tranſgreſſione, quę etiã fuit noſtra quo ad hoc; iure illud amiſimus, quo amici eramus iam Dei decreto conſtituti, et ſic euaſimus inimici eius. Ex hac verò gratiæ ſubtractione, anima nonnullam maculam & tenebras contraxit per hoc, quòd à cęleſtibus abſtracta, ad terrena ſuapte natura demergitur. Et propterea omni ſpe regni defraudati ſumus, vt alienati à Deo propter peccatum. Et hæc erat maxima noſtra punitio ob illud peccatum.

Verùm quia adhuc ſunt qui dubitant, Vtrum Adam fuerit aliquando ante peccatum dono gratiæ decoratus in ſpem vitæ æternæ, non eſt hoc ſilentio prætereundum: multa.n.faciunt ad perſuadendum. Et primo quidem vetus & vniuerſalis patrum traditio, qui dixerunt eum fuiſſe perfectum ſanctitate, & iuſtitia. Vnde hoc probans Sancta Synodus Tridentina, dixit, quòd poſitus fuit in ſanctitate & iuſtitia. Quibus verbis eleganter ſignificatur ſtatus hominis perfectus ac rectus, & placẽs Deo, in quo ille inuentus eſt ab initio: & qui nobis etiã obuenturus erat per illum, ſi ſtetiſſet. Sanctitas enim in primis nihil aliud eſt quàm munditia quædam, & iuxta ſenſum ſcripturarum, iis propriè applicatur, qui per gratiam ſiue charitatem infuſam mundi ſunt, non ſolum quia non habeant peccati ſordes, verum etiam quia à deſideriis carnis & terrenorum abſtracti, mente & cogitatione cęleſtibus inſeruntur. Vnde à Domino tales beatificantur, & digni viſione diuina cenſentur, dicente illo: Beati mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. Et alibi dicit: Sancti eſtote: quoniam ego ſanctus ſum. Quòd verò Adam acceperit gratiam, clarè probatur ex Libro Eccleſiaſtici cap. 17. vbi poſt nõnulla narratur, quod creauit Deus in eo ſcientiam ſpiritus: quæ in ſcripturis non ſolet accipi, niſi pro ſcientia donorum ſpiritualium pertinentium ad regnum Dei. Vnde Apoſtolus: Non accepimus ſpiritum mundi huius, ſed ſpiritum qui ex Deo eſt, vt ſciamus quæ à Deo donata ſunt nobis. Hæc notitia, quæ ex fide eſt, vt ait B. Petrus, purificat corda. Dominus ait: Vos mundi eſtis propter ſermonem meum. Adiecit etiam magis declarans quod dicimus. Et legem vitæ hæreditauit illos. Quę eſt autem lex vitæ, niſi lex charitatis, quam Apoſtolus vocauit legem ſpiritus vitæ? Et bene notandum eſt verbum; hæreditauit; quod pactum quoddam & teſtamentum ſupponit. Vnde ſubdit manifeſtè. Et teſtamentũ æternum conſtituit cum illis. Hæc & alia plura, quæ ibi de illo narrantur, vt longum eſſet hic recenſere, clarè oſtendunt illum apud Deum gratia valuiſſe.

Digreſſio vtrũ Adam cõditus fuerit in gratia.

Secundo probatur apud Lucam, vbi Adam filius Dei fuiſſe nominatur. Quod non dicitur, niſi de his qui ſpiritum gratiæ acceperint, in quo clamare poſſint Abba Pater. *Luc. 3.*

Tertio probatur: quia omnes fatentur Adam propter peccatũ mortuum fuiſſe ſecundum animam. Mors autem animæ alia fingi non põt, niſi priuatio gratiæ. Priuatio autem præſupponit habitum.

Quarto probatur: quia per Chriſtum dicimur inſtaurari, renouari, & amiſſam Dei amicitiam recuperare. Quæ recte dici nõ poſſent, niſi ipſe primus homo gratiã accepiſſet, & in illo nobis etiam decreta fuiſſet. Nam iuſtitiam illam originalem minime recuperamus, ſed ſolũ gratiam, quæ & iuſtitia Dei dicitur ab Apoſtolo. B. Auguſtinus.n.ſuper Gene. ad li.6.cap. In hoc renouamur, inquit, ſecundum id quod amiſit Adã, ideſt, ſecundum ſpiritum mentis. Et paulò poſt. Proinde illa ſtola prima, aut ipſa iuſtitia eſt, vnde lapſus eſt, &c. Vide ſequens caput.

Quinto probatur: Si enim non fuiſſet Adam in gratia; profectò nõ fuiſſet ordinatus ad gloriam. Nam ſemen gloriæ gratia eſt. Abſurdiſſimum autem eſt donum gloriæ occaſionatum fuiſſe à peccato. Poneretur enim, Dominum Deum noluiſſe dare illud homini ſummum donũ, niſi ille peccaſſet: quod eſt (vt diximus) abſurdiſſimum. Huic vero ſententiæ hæſiſſe D. Auguſtinum, & B. Thomam, & Scholaſticos communiter, nõn eſt dubium. Erat enim hæc aliquorum indubitata ſententia. Vnde B. Auguſtinus ita ſcribit. Quid ergo? Adam non habuit Dei gratiam? Imo vero habuit magnam &c. Et ſuperiore capite de eius ſtatu hæc verba profert. In quo ſtatu recto ac ſine vitio, ſi per ipſum liberũ arbitrium manere voluiſſet, profecto ſine vllo mortis & infęlicitatis experimento acciperet illã, merito huius permanſionis, beatitudinis plenitudinẽ, qua & ſancti angeli ſunt beati &c. Poſſet hæc veritas etiam aliis multorũ autorũ fulciri ſententiis, ſed qui ſuperioribus non acquieſcent, vt contentioſi meritò mittendi ſunt.

Illud tñ in quęſtionẽ verti merito poteſt, Vtrum in primo inſtãti cõditionis ſuę fuerit ipſe creatus cum gratia: an vero prius in puris naturalibus: deinde, vt aliquo tẽporis interuallo acciperet cœleſte donũ gratię, reliqua, quæ ad ſtatũ hominis rectũ faciebant. Hoc.n.(vt verũ eloquar) mihi probabilius videtur, vt ſciret homo experientia quid eſſet in puris ſuis naturalibus conſtitutus, & quid inſuper acciperet ex dono Dei. Præter hanc aũt rationẽ, ipſæ ſcripturæ multũ hoc adiuuare videntur. Nam cùm primum conditus eſt Adam, erat extra paradiſum, & dixit ſcriptura: Et factus eſt homo in animam viuentem. Et hic non dixit: In ſpiritum viuificantem. Hoc autem dixit, poſtq̃ narrauit inſpiratum in faciem eius ſpiraculum vitæ, hoc eſt, animam, qua corpus viuit. Exiſtimo autem (ſalua ſemper ſit omnis veritas) ꝙ Dominus Deus cũ poſuit eum in paradiſum terreſtrem, vbi habuit decretum ne comederet de fructu illius arboris, oſtendit ei dona, quæ faciebant ad integritatem naturæ: cum natura noſtra propter iſtam corporis compoſitionẽ & conditionem, non poſſit eſſe integra ſine donis, & ſic illis eum honeſtauerit, quibus rectus in natura eſt conſtitutus. Vnde ſcriptura quæ dicit: Deus fecit hominem rectum; nõ dicit hoc eum feciſſe cum primum creauit. Quòd enim in paradiſo habuerit illa dona, patet: quia nõ erubeſcebant, ait ſcriptura. Et quia ipſe Adam vocauit illorum nomine cuncta animalia, quæ Dominus adduxit ad eum. Gratiam autem & dona ſpiritus,

credo

credo quòd illi dederit, cùm primum condidit Heuam. Tunc enim innotuit illi myſterium Domini IESV CHRISTI, in quo conſtituti oẽs fuerunt in gratia & iuſtitia, vt in hoc ſanctiſſimo nomine omne genu flectatur cœleſtium, terreſtriũ & infernorum. Et bene dixit Apoſtolus: Non quod ſpirituale prius, ſed quod animale. Sicut enim hoc eſt in corpore vt prius ſit animale, deinde ſpirituale fiat, ita cõueniens fuit eſſe in anima, vt prius quod eſſet ex natura, deinde quod ex donis & gratia in ea adiectum eſſet, vt humiliaretur homo, & magis ſentiret quid ex ſui natura eſſet, & quid ex collatis donis, & ita doceret poſteros, qui tales creandi erant. Nam & Heua confeſtim habuit gratiam, quæ condita fuit in paradiſo. Et nos ſimiliter cõfeſtim habituri eramus: Et ſatis erat pro noſtra inſtructione, quòd pater noſter Adam ſecundum carnem nõ ita fuit, ſed poſteà quàm conditus eſt, & factus in animam viuentem accepto ſpiritus dono, generatus eſt in ipſo CHRISTO in ſpiritum viuificantem, id quod agnouit in conſtructione ſuæ coniugis Heuæ. Et hæc ſatis, quod ad hanc pertinet quæſtionem. Nunc redeundum eſt ad ipſas illius peccati pœnas, vnde digreſſi pauliſper ſumus.

Quòd pœna originalis peccati non ſit ignis inferni.

PRima & maxima pœna originalis illius peccati fuit amiſſio illius doni, quod dicitur gratia & charitas, vnde ſpes vitæ æternæ nobis adimebatur. Quo tamen in loco conſiderandum eſt, ab hæreticis hoc peccatum plus ſatis & nimium exaggerari, & cõparari peccato Diaboli, ac per hoc dici pœnam eius eſſe pœnam ignis inferni. Nos autem contrà, dicimus cum communi omnium ſchola, quòd huius peccati pœna nunc eſt ſublatio gratiæ: poſt mortem verò eſt carentia viſionis æternæ fœlicitatis, non autem pœna geennæ & ignis inferni, qui paratus eſt Diabolo, & angelis eius, pinde ac ſi omnes naſceremur diaboli: quod horreſco cogitans, cùm humanus animus id refugiat, & (niſi velit deponere rationem, & lumen mentis à Deo illi inditum) non valeat tam diram Dei ſententiam admittere, & probare vt æquam, in tot animas, quas ad perditionem creare videretur, & ita delectari in perditione creaturæ ſuæ: quod ſummè abeſt ab ipſius Dei benignitate & clementia. Quamobrem cùm iſta prædicatio ſcandalum in vulgus ſpargeret, & ad blaſphemandum Deum compelleret infirmorum animos, ſcripſi particularem libellum circa hanc materiam; quo iis qui propter ſcripturarum autoritatem moueri poterant (niſi proteruè agere velint) arbitror à me ſatiſfactum eſſe, perſpicuè oſtendens eam opinionem non ſolum à ſcripturis ſanctis, verum etiam ab inuictiſſimis rationibus expugnari.

Verum quidam nunc hoc in loco nobis obſiſtentes, autoritate B. Auguſtini, quæ magna certè eſt, terrent nos. Ipſe.n.nonnullis in locis videtur oppoſitum aſſerere: quod ego minimè quidẽ inficior. At cur

Doctrina B. Augu. de pœnis puerorũ varia.

illius eiuſdem autoritate non mouentur, qui ad B. Hieronimum ſcribẽs, manifeſtè oſtendit ſe in hac opinione, propter eius atrocitatem, non quieſcere? Dixit enim: Cum ad pœnas ventum eſt paruulorum, magnis (mihi crede) coarctor anguſtiis; nec quid reſpõdeam, prorſus inuenio. Non ſolùm eas pęnas dico, quas habet poſt hanc vitam illa damnatio, quò neceſſe eſt trahantur, ſi de corpore exierint ſine chriſtianæ gratiæ ſacramento, ſed eas ipſas, quæ in hac vita, dolentibus nobis, verſantur ante oculos, quas enumerare ſi velim, prius tempus quàm exempla deficient. Langueſcunt ęgritudinibus, torquẽtur doloribus, fame & ſiti cruciantur, debilitantur in membris, priuantur ſenſibus, vexantur ab immũdis ſpiritibus: demonſtrandum eſt vtiq; quomodo iſta, ſine vlla ſua mala cauſa, iuſtè patiantur. Non.n.dici fas eſt aut ignorante Deo iſta fieri, aut eum non poſſe reſiſtere facientibus, aut iniuſtè iſta vel facere vel permittere. Nunquid nam ſicut illa animalia irrationabilia rectè dicimus in vſus dari naturis excellentioribus, etſi vitioſis; ſicut apertiſſimè in euangelio videmus porcos ad vſum deſideratum conceſſos eſſe dęmonibus; hoc & de homine rectè poſſumus dicere? Animal eſt enim, ſed rationale, etſi mortale. Anima eſt rationalis in illis membris, quæ tantis afflictionibus pœnas luit. Deus bonus eſt, Deus iuſtus eſt, Deus omnipotens eſt: hoc dubitare omninò amentis eſt. Tantorum ergo malorum quæ fiunt in paruulis, cauſſa iuſta dicatur. Nempe cum maiores ita patiuntur, ſolemus dicere, aut ſicut in Iob merita examinari: aut ſicut in Herode, peccata puniri. Et de quibuſdam exemplis, quæ Deus manifeſta eſſe voluit, alia quæ obſcura ſunt hominum coniectare conceditur. Sed hoc in maioribus. De paruulis autem quid reſpondeamus ediſſere, ſi pœnis tantis nulla in eis ſunt punienda peccata. Nam vtiq; nulla eſt in illis ætatibus examinanda iuſtitia. De ingeniorum verò diuerſitate quid dicam? quæ quidem in paruulis latet, ſed ab ipſis exordiis naturalibus ducta apparet in grandibus, quorum nonnulli tam tardi & obliuioſi ſunt, vt ne prima quidem elementa literarum diſcere potuerint. Quidam verò tantæ ſunt fatuitatis, vt non multum à pecoribus differant, quos moriones vulgò vocant. Reſpondetur: fortaſſe corpora hoc faciunt. Sed nunquid ſecundum hanc ſententiam, quam defendi volumus, anima ſibi corpus elegit, & in eligendo, cum falleretur, errauit? aut cũ in corpus cogeretur intrare neceſſitate naſcẽdi, alia corpora præoccupantibus animarũ turbis, ipſa aliud nõ inuenit, & ſicut in ſpectaculo aliquo locũ, ita carnẽ non quam voluit, ſed quam valuit, occupauit? Nunquid hæc & talia vel dicere poſſumus, vel ſentire debemus? Doce igitur quid ſentire, quid dicere debeamus, vt conſtet nobis ratio nouarum animarum, ſigillatimque factarum ſingulis corporibus. Hæc ille. De quibus prudens lector ſatis poteſt accipere, quòd in ea opinione ſecurus non conſiſtebat, nec erat eius poſſeſſor, confidens ſe poſſe reſpondere contradicentibus, ſi ſic animæ crearentur à Deo, & in ſingulis infunderentur corpuſculis. At qui bene poſſidet veritatem; po-

tens eſt omnibus reſpondere obiicientibus, vt ait Philoſophus. At docto‐ris autoritas tunc aliquid valere debet, cum ipſe conſtans eſt, & non nu‐tat neq; titubat, nec tantis coarctatur anguſtiis, ſicut de ſeipſo prædicat hic Sanctus Doctor.

Ad hæc, ipſemet B. Auguſtinus ad Iulianum, cum ab illo argumen‐tis vrgeretur, in hunc modum tandē reſcripſit. Quis dubitauerit paruu‐los non baptizatos, qui ſolùm habent originale, nec vllis propriis aggra‐uantur, in damnatione omnium leuiſſima futuros? Quæ, qualis, & quan‐ta erit, q̄uis definire non poſſum, non tamen audeo dicere, quod eis, vt nulli eſſent, q̄ vt ibi eſſent, potius expediret. hæc ille. Quis non perſpi‐ciat, quòd pœnæ ſubſtantiam & qualitatem, quæ pueris conueniat poſt hanc vitam, qui non propria voluntate peccarunt, fatetur ſe ignorare iſte glorioſus Doctor? At certè minime conuenit cum iſta crudeli ſen‐tentia æterni ignis, quo diaboli ſimul & impii & iniqui homines torque‐buntur. Quomó.n. verè dicet quis, non poſſe ſe definire, quæ & qualis pœna futura ſit puerorum, qui tamen cum dicat ꝙ erit pœna geennę ignis, quæ deſignata eſt à Chriſto in hædos, proculdubio iam definiuit? Vide ergo quod non debet cuiuſquam valere autoritas, in quo non con‐ſtiterit ſibi ipſi. Hæc autem pro veritate dicuntur: quia cogimur, non ꝙ tanti viri quæramus gloriam, (cui libenter cedimus) imminuere, ſed ne veritas, cuiuſque lędatur autoritate. Lib.5.cap.8

Præterea vt obſtruatur eorum os, qui in hac quæſtione Doctoris huius ſe moueri iactant autoritate, cum nihil minus illis ſit cordi, cum alias vbi libuerit, parum admodum illius ſententiis tribuant; Cur, quęſo, non eidem B. Auguſtino credunt dicenti oppoſitum è diametro? Et quod eſt efficacius, non ſimplicenter dicenti, ſed rationem inuictiſſi‐mam in ſuo dicto concludenti? Nam quidam de ſtatu puerorum, & ſententia in eos Iudicis, in hunc modum interrogabat. Quid opus erat vt naſceretur, qui ânteq̄ iniret vllum vitæ meritum exceſſit è vita? Aut qualis deputabitur in futuro iudicio, cui neq; inter iuſtos locus eſt, qui nihil recte fecit: neq; inter malos, quoniam nihil peccauit? Quibus ſic reſpondet. Ad vniuerſitatis complexum, & totius creaturæ, vel per locos, vel per tempora, ordinatiſſimam connexionem, non poſſe ſu‐perfluò creari qualemcumq; hominem, vbi folium arboris nullum ſu‐perfluo creatur. Sed ſane ſuperfluo quæri de meritis eius, qui nihil me‐ruit. Non enim metuendum eſt, ne vita potuerit eſſe media quædam inter recte factum, & peccatum; & ſententia iudicis media eſſe nó poſſit inter præmium atq; ſupplicium. hæc ille: Quibus neſcio quid clarius, & quid verius dici potuerit. Denique, vt amplius obſtruatur os aduer‐ſantium; eſt locus apud Danielem, vbi hæc verba leguntur: Multi ex his qui in puluere dormiunt euigilabunt: alii in vitam æternam, alii in opprobrium, vt videant ſemper. Cum ergo dicat; Multi ex his; nonne apertè innuit alios ſupereſſe, quibus nec æterna vita, nec æternum op‐probrium ſeruatur? Qui autem erunt hi, niſi pueri? Dicet quis, An non Lib.3.de lib. arb.cap.23.

eſt opprobrium ſempiternum carẽtia æternæ vitæ? Eſt quidem, ſed iis quibus erat parata,& ab ea ipſi ſua culpa exciderunt: in quorum numẽro non ſunt pueri, vt declarat D. Thomas,& ego ſatis in alio libello. Nec me latet quoſdam doctores,vt D. Bernardum, & Gregorium,autoritatem B. Auguſtini ſecutos,eam dixiſſe ſententiam, ſed non ex proprio ſenſu. Nam & ipſe B. Gregorius cùm diligentius ſcrutaretur rationem iudicii; aliam nobis doctrinam tradidit,vt non multò poſt indu cam. Certè B. Ambroſius aliter ſcripſit,& multo probabilius ſuper ca. 5. ad Ro. vbi pœnam geennæ,quam ait eſſe mortem ſecundam, non venire propter Adæ peccatum,ſed vnicuiq; propter proprium delictum, manifeſtè tenet. Hæc eius verba ſunt: Eſt alia mors quæ ſecunda dicitur in geenna, quam non peccato Adę patimur,ſed eius occaſione propriis peccatis acquiritur. hæc ille.

Ad hæc, Cur hic ſcholaſticos contemnimus,qui tamen hunc locum ſubtilius,& viuis rationibus conſiderantes,non valuerunt probare opinionem tam crudelem? Etenim qui alias B. Auguſtini in primis autoritatem ſectari conſueuerunt,hoc in loco iſtam doctrinam nequaq̃ probauerunt. Nam D. Thomas,qui vix vnq̃ latum vnguem ab illius doctoris ſententiis auſus eſt recedere, dum hoc tractaret, conatus eſt potius gloſſis quibuſdam tanti viri ad veritatem torquere ſententias, q̃ illas in ſua rigiditate probare. B. autem Bonauentura etiam vlterius auſus eſt; qui dixit,quòd B. Auguſtiuus in hoc articulo exceſſit. Vnde hanc mitem & dignam Dei clementia ſententiam, quam probamus,omnes alii communiter ſunt ſequuti: Ariminenſem excipio.

Dilutio argumentorum & autoritatis, quæ pro illa opinione faciebant.

PRætereà,cur nolumus ad illa loca ſcripturarum pręcipua animaduertere, quibus B. Auguſtinus mouebatur ad eam opinionem ſuadendam? Nam eatenus valere cuiuſq; autoritas debet,quatenus certa ratione mouetur, quantunq; valet ratio expreſſa ab illo,& fundamentum cui ipſe innititur. Sed illa, illa inq̃ loca,quibus ipſe ad aſtruendam illam ſententiam mouetur,eandẽ deſtruunt, & noſtram probãt; quæ eſt: Quòd & ſi pueri non admittantur ad æternæ gloriæ fruitionem, nõ ob id perpetuis flammis inferni dedendi ſunt. Cur igitur tãtopere opprimimur autoritate,& non id potius penſamus, quod mouit autorem?
« Ecce nunc afferam præcipuum eius locum. Eſt iudicium Dei benedi-
« cti omnium (vt dicunt) gentium, quæ ſegregabuntur in duas turmas,
« vt alii conſtituantur ad dexteram,velut oues ſimplices & manſuetæ: alii
« verò ad ſiniſtram, vt hœdi putidi & petulci. Tunc iudicis audietur ſen-
« tentia,in oues quidem,qua dicetur illis: Venite benedicti &c. In hœdos

autem: Ite maledicti in ignem &c. Ecce inquiunt, ſcriptura omnibus gentibus non pronunciat niſi duo loca, vt in horum altero oporteat quemuis hominū collocari. Quis ergo locum tertium contra ſcripturas auſit diuinare? Verum cōſyderet acutus lector, quòd illud iudicium verè non complectitur omne genus hominum, ſicut plures ſancti interpretes cognouerunt. Vnde B. Gregorius dixit, quòd in eo infideles, quiq; ex aduerſo pugnarint cum CHRISTO, non comprehenduntur: quoniam tales iam iudicati ſunt. Sed illius Sancti verba pręſtat apponere: hæc ſunt. Iſti autē quibus hoc dicitur, videlicet, Diſcedite &c. ſunt mali fideles, qui iudicantur & pereunt. Non.n. tunc eorum cauſſa diſcutitur, qui ad conſpectum diſtricti iudicis iam cum damnatione ſuæ infidelitatis accedūt. Profeſſionem vero fidei retinentes, ſed profeſſionis opera non habentes, redarguuntur vt pereant. Iſti enim ſaltem iudicis verba audiunt: quia eius fidei ſaltem verba tenuerūt. Illi in damnationem ſuam æterni iudicis nec verba ſuſcipiunt: quia eius reuerentiam nec verbotenus ſeruare voluerint. Nam & princeps terrenā remp. regens, aliter punit ciuē interius delinquentem, atq; aliter hoſtem exterius rebellantem. In illo.n. ſua iura conſulit; contra hoſtem verò bellū mouet, & de pœna eius quid lex habeat non requirit. Hæc ille, ſapienter quidem & doctè. Quin (ne fortè putes illum ſolum hoc animaduertiſſe) proferam, præter alios, & ipſummet B. Auguſtinum, in quo iſti ſe niti oſtentant. Ipſe enim eundem locum exponens, & volens pertinere ad eos tantū, qui fidem habentes, non habuerunt opera, ex verbis Domini in hunc modum concludit. Erit ergo æterna combuſtio ſicut ignis; & eos in illam ituros Veritas dicit, quorum non fidem, ſed opera bona defuiſſe declarauit. Non ergo iudicium illud eſt generale, prorſus pertinēs ad omnes homines; & ideò falſum eſt quod ſumunt, vt in illo pueros quoq; concludant. Sed vt ad radicem ſecurim ponam; quòd illa ſententia pertinere non poſſit ad paruulos, manifeſtè patere poteſt per hoc, quòd ratio ſententię ad illos pertinere non poteſt. Dicet enim Dominus hœdis. Diſcedite a me maledicti in ignem æternum. Eſuriui enim & non dediſtis mihi manducare. Et rogantibus illis: Quando vidimus te eſurientem, & non pauimus te? Reſpondebit: Quādiu non feciſtis vni ex minimis iſtis, mihi non feciſtis. Cum igitur hæc iudicii ratio (niſi quis velit vel contentioſè fingere, vel ſtultè deſipere) clariſſime ad pueros non pertineat, profectò nec ipſum iudicium ſpectabit ad illos. Nam verè futurum iudicium erit diſcuſſionis, & ideo de operum meritis ac demeritis: quæ diſcuſſio, luce clarius, in pueris non eſt conſiderabilis. Quare quotieſcunq; de futuro iudicio nos ſcriptura admonet, inducit opera ſiue bona, ſiue mala vniuſcuiuſque propria, quæ iudicabuntur.

Sed vrgent iterum atq; iterum eiuſdem Auguſtini verbis, qui hāc opinionem, nempe medium eſſe locum inter ſupplicium & regnum celorū, aliquando dixit eſſe hæreſim pelagianam, & contra maiorum traditionem. At ſi hoc recipitur, primū condemnatur B. Ambroſius hæreſe-

os pelagianæ, aut (quod minime eſt credibile) concludere, quòd D. ipſe Ambroſius vel ignorauerit eam eccleſiæ communem traditionem, vel ſciens ſpreuerit. Quæ ſunt abſurdiſſima.

Adhæc, Si illa erat ita conſtans eccleſiaſtica traditio, cur ipſemet B. Auguſtinus non quieſcebat in ea? Imò cur nutabat & trepidabat, magniſq; (vt aiebat) coarctabatur anguſtiis, & aliquádo etiam oppoſitum, idq; ſine metu, docebat? Dixit enim de his pueris agens, non eſſe metuendum ne vita potuerit eſſe media quædam inter rectè factum & peccatum: & ſententia iudicis media eſſe non poſſit inter præmium atq; ſupplicium. Si ergo rectè ipſe ait; Non eſſe metuendum; cur igitur tantopere eius exterremur autoritate?

Adhæc, Si hæc ſententia eſt pelagiana, & eſt contra eccleſiaſticam antiquam vniuerſalem traditionem, cur inter damnatas hæreſes Pelagianas à ſancta ſede Apoſtolica non eſt connumerata? Imo cur ſpecialiter S. Pontifex Cœleſtinus proteſtatur, quòd non quidquid contra Pelagianos fuit per Catholicos, qui illis reſtiterunt, aſſertum, neceſſarium duxit aſtruere? Sed illud ſolum putandum non cathol cũ, quod apparuerit eſſe ipſis determinatis ſententiis, quas paucis perſtrinxerat, cõtrarium. At hoc quod aſſerimus, minime pugnat cum illis. Præterea, ſi hæc eſt hæreſis pelagiana, B. Thomas, Bonauentura, Albertus, Scotus, Egidius, & omnis deniq; ſchola fuiſſet & eſſet pelagiana. Et Innocentius Tertius ſimiliter Pelagianus, qui definiuit, quòd peccati originalis pœna ſit carentia viſionis diuinæ: actualis autẽ peccati geẽna ignis. Quod ſi hęc abſurdiſſima ſunt, non debent in auctoritatem extolli, ſed cum omni honore & doctoris & doctrinæ, quæ in vniuerſum bona fuit & ſancta, repudiari: ne ſimus veluti animalia immunda, minimeq; ruminantia, quæ nullo delectu cuncta in ventrem traiiciunt.

Cum igitur & communis animorum conceptio, & humana ac recta ratio, de Deo tam ſæua ſuſpicari non poſſit: & ipſa pietas, quæ ſi quid animo cogitandum occurrit de ipſo, quod indignum ſit ſua bonitate & miſericordia, cõtinuò exhorreſcit, vt hanc opinionem tam ſiniſtram de Patre cæleſti, Patre miſericordiarum, & Deo vniuerſæ conſolationis, qui benignus eſt etiam ſuper ingratos & malos, non queat admittere; Et cum huiuſmodi opinio iam facta propria hęreticorum, & ab eis prædicata, ſcandalum piis omnibus porrigat; nõnullis quoq; infirmis anſam ad blaſphemandum Deum prębeat, quem nullus homo tam ſæuum atq; atrocem poteſt credere; cum inq̃ ita res ſeſe haberet; mei erat conſilii, vt ſancta Synodus Tridentina, veritate ipſa (quod facile erat) comperta, tam dirum dogma clariſſima ſententia exploderet ad reprimẽdam quorundam predicatorum ignorantiam, qui (vt aliquid eſſe videantur) ſibi laudem cõparare arbitrantur, dum talia in vulgus paradoxa ferũt. Nihil eſt enim adeo abſurdum, quod nõ inueniat aliquem in rudi populo plauſorem, his præſertim temporibus corruptiſſimis. Neq; propterea ſanctiſſimo viro Auguſtino quicquã glorię detrahitur, illiuſue doctrinę,

quando (vt idem ipſe teſtatur) non poterat aliquid aliud certi de pueris determinare, niſi quòd æterna vita carerent. De pœna verò, quæ & qualis & quanta eſſet, non audebat quicquam aſſerere. Hoc enim dixit ipſe manifeſtè, vt ſuperius oſtenſum eſt. Quòd verò interdum calore diſputationis (nam & ipſe homo erat) & contra Pelagianos ſcribens hac parte (teſte Bonauentura) exceſſerit; non eſt magnopere mirandum, ac propterea non metuendum in hoc illum non ſequi, qui nec ſeipſum perpetuò ſecutus eſt. Hactenus hic de hoc articulo. Cætera ſiquis copioſius deſiderat, poterit ex ipſo noſtro fuſiori tractatu haurire.

Proſequor nunc incæptum de pœnis peccatis huius. Cum itaq; dixerimus primam ac ſummam eius pœnam eſſe ſubtractionem gratiæ, quæ non erat ſine lumine diuinæ erga nos prouidentiæ, hac ipſa gratia abiecta, ſequitur ſecunda pęna, quæ ignorantia eſt & error. Naſcitur enim homo tenebris obuolutus vt neſciat vnde veniat, aut quò vadat: quoniam Dei omnē penitus erga ſe volūtatem ignorat, nec vllo poteſt eſſe certus argumento, ſi propriæ prudentiæ, quæ ſtultitia eſt, relinquatur. Homo enim cum in honore eſſet, non intellexit: comparatus eſt »
iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis. Vnde Apoſtolus. Anima »
lis homo non percipit ea quæ Dei ſunt: ſtultitia enim ſunt illi. »

Tertia pœna erat mentis ad ſuam carnem affectio. Nemo enim, teſte Apoſtolo, carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fouet eam: pro qua ſollicitatur circa terrę bona innumerabilibus curis atq; moleſtiis: Ita vt homo à deteriore parte totus cenſeretur, iuxta quod dixit Dominus.
Qui natus eſt ex carne, caro eſt: caro autem & ſanguis non poſſidebunt »
regnum Dei: & qui de terra eſt, de terra eſt & de terra loquitur. »

Quarta igitur pœna (ſi modo ſit hæc alia à priore) eſt ipſa inferioris partis potētia, ideſt, carnis, in qua eſt lex peccati, & inimicitia in Deū: quoniā caro inuitās atq; excitās ad ea quæ ſunt homine indigna, aduerſatur legi diuinæ, quæ eſt in mente hominis, q̄q̄ obumbrata & obſcurata. Et quod eſt valdè peruerſum, non ſolum pronitas ad malum, eaq; excitans, quæ hominis fœdant præſtantiam, verum etiam eſt dominatus in carne eo vſq; robuſtus, vt mens ei in hoc ſtatu etiam libenter ancilletur, atq; deſeruiat ferè abſq; vlla pugna: quia non eſt lex Dei, neq; timor ante Adæ filiorum oculos, niſi deſuper illuminentur, vt agnoſcant ſui ſtatus miſeriam.

Quinta pœna fuit dominatus diaboli. Quia enim ille nos ſupplantauit, iuſtum fuit vt etiam ſub illo premeremur, & poſſet ipſe noſter malignus hoſtis donec hanc vitam viuimus filii Adæ, multa in corpus & in animam, Deo ita permittente, ſub cuius nutu ille eſt ſemper. Merebatur tamē ipſum peccatum vt hoc permitteret Deus. Quamobrem apparet plerūq; pueros ipſos ab ipſo Dæmone corporaliter torqueri.

Sexta pœna fuit exilium Paradiſi, & rebellio omnium aliarū creaturarum, quæ prius nobis ſeruiebant, nec poterant vllo pacto nocere. Sed peccatò illo adueniente, iura amiſimus paradiſi, animaliumq; ſubie-

ctionem. Elementa quoque & cæteræ creaturæ ius ſibi ad nocendum mille modis vendicarunt, ſicut ex parte videmus. Non enim omnia experimur, quæ illi ſtatui conueniebant: proptereà quia Dominus miſertus eſt noſtri ab initio, cogitans conditiones pacis.

Septima pœna eſt timor & dominatus mortis, & perfecta corporis corruptio, ſicut dixit Dominus: Quacunq; die comederis, morte morieris. Nec mihi obiiciatur, quomodo verũ fuerit de morte corporis, cum multos poſt lapſum annos vixerit Adã, videlicet, nongentos triginta. Reſpõdetur.n.ꝙ ſtatim vt peccauit, cœpit mori, & vera eſt Domini reddita ſententia: quia incurrit neceſſitate moriendi. Nam & nos omnes qui naſcimur, hoc ipſo quod naſcimur, mori incipimus. Sub hac autẽ mortis & corruptionis pœna inuoluũtur multæ corporis infirmitates, egritudines, dolores, labores, quibus enarrandis non eſt hic locus.

Hæc igitur omnia quę enumerauimus mala, illius peccati pœnas eſſe nemo, qui Chriſtianus haberi velit, inficiari poteſt: quorum tamen pęnarum vna eſt præcipua, quæ peccatum ab Apoſtolo appellatur, & eſt concupiſcentia in carne, quæ & fomes dicitur, cui mens obſequitur, donec per gratiam ſanetur. Dicitur autem peccatum, non quia reuerà propriè loquendo, peccatum ſit, ſed (ſicut centies D. Auguſtinus dicit) quia à peccato deſcendit: ſicut ſermo dicitur lingua: quia a lingua formatur, Et ſimiliter ſcriptura dicitur manus: quia manu ſcribitur. Quòd ſi dixeris: Hac ratione omnes aliæ huius peccati pœnæ dici deberent peccata, quod tamen non dicitur; illud adde, quod & B. Auguſtinus addidit, ideo hanc concupiſcentiam dici peccatum: quia in ea maximè non ſolum conſpicitur, ſed etiam viget illius malitia peccati. Per hanc enim concupiſcentiam extimulamur ad peccandum: quia in ea eſt radix paſſionum, per quas prorumpimus aduerſus rationis iudiciũ in peccata. Nec ob id tamen verè & propriè peccatum dici poteſt ipſa, ſed potius vitium ac morbus, vt ſunt alii vitiorum habitus, in quibus penitus hæc omnia inſunt. Nam à peccatis ortum ſuum habent, & in eis eſt lex peccatorum, qua ad peccandum prouocantur etiam cum delectatione, qui huiuſmodi vitiis affecti fuerint.

Verum, Quoniam qui partibus fauent lutheranis, vt eſt Bucerus & alii, hanc hæreſim pertinaciter conantur defendere, idq; (quod eſt etiam arrogantius) B. Auguſtini autoritate; particularem facio hac de re quęſtionem, quam poſt hunc tractatum libet adiicere. Nunc eo ſolo contentus ero, vt repetam quod iam dixi, & abũdius declarẽ, Idq; eſt, quòd & ſi iſta habitualis concupiſcentia non ſit peccatum, ſeu culpa reuera, quia non eſt actus, habere tamen illam non renatis, nonnullo modo dicitur eis eſſe peccatum: quoniam illam habere non debent. Et exemplum dedi de pellice: quod exemplũ iuxta ſenſum ſcripturarum, & eorum qui illas interius ſcrutantur, mirificè congruit. Nam qui propheticas intuentur ſcripturas, ſanè perſpiciunt, quòd in homine caro, ſiue ſenſualitas, mulieri: mens autem & ratio, viro aſſimulatur. Horum copulam

pulam ab initio fecit Dominus: & ita fecit, vt vir, ideſt, ratio caput eſſet mulieris, plenus prudentia & ſapientia. Ipſa verò mulier, ideſt, caro eſſet modeſta, decora, morigera viro ſuo: quia dono illo iuſtitiæ continebatur in omni obedientia, & officio. Nihil igitur peccati, ſeu mali erat in ea copula. Verum copula iſta diſſoluta eſt per peccatum, & vir quidem ipſe infatuatus eſt: quæ autem erat illi legitima coniunx, facta eſt illegitima: & mutato ingenio, quæ erat modeſta, & morigera, facta eſt petulans & illecebroſa pellex, virum ad omnem libidinem trahens, illo ſua ſponte currente, donec venit iterum Dominus conciliator copulæ huius: & virum quidem ipſum erudiuit, & ad mentis ſanitatem reduxit, eiq; permiſit vt legitimè pmaneret cum coniuge, tametſi non admodũ illa ab ingenio ſuo malo recederet, cum in illa adhuc petulantia & contumacia perſiſteret. Sed poſuit in manu viri legem & diſciplinam & poteſtatem cohibendi eam. Talis eſt prorſus concupiſcentia hæc, ſiue caro ipſa nunc concupiſcens. Nam in primo ſtatu ſana erat & prudẽs: vnde nihil mali habitabat in ea propter donum iuſtitiæ, quo informabatur: quia Deus eam copulam fecerat, & bene conueniebat inter eos, & iuſſit viro vt cuſtodiret eam. Et hic ſtatus erat primæuus.

Natum eſt autẽ poſtmodo peccatum per virum, qui peccauit in Deũ & dementatus eſt. Vnde etiam quæ erat legitima copula, & ſecundũ Deũ cum carne, facta eſt illi illegitima, Deo copulam illam reprobãte. Nam ipſa caro, quæ prius quaſi pudica & honeſta mulier, mẽti tanq̃ viro obſequebatur, mutata eſt, facta appetens illecebrarũ, & ad ſuam libidinem trahens mentem quaſi virum effœminatum. Quare non ſine peccato vir, ideſt, mens manere cum illa poterat, quæ eſt ei facta tanq̃ ex coniuge pellex. Vnde ait illi Dominus: Non licet tibi eam habere: quia non ſeruaſti eam, qualem tibi dedi. Propter hanc enim tu mihi diſplices. Et hic eſt ſtatus non renatorum in Chriſto. Deniq; facta eſt reconciliatio viri cum Domino, ideſt, ipſius mentis cum Deo, & conſequenter viri cum coniuge, ideſt, ipſius mentis cum carne: licet in huiuſmodi reconciliatione nondum ſanata ſit caro, ſicut erat prius, ſed ſolummodo mens per gratiam. Conciliatio ergo hęc, quæ facta eſt volũtate Dei, reddit copulam hanc legitimam, non tamen reſtituit coniugem in priſtinã obediendi facilitatem, ſed relinquit illam fere in ſua natura moroſam, dyſcolam, contumacem, ſed quæ caſtigari poſſit ac plecti, inq; ſeruitutẽ redigi: quo factum eſt, vt iam habere iſtam huiuſcemodi carnem adhuc petulantem, non ſit vlterius peccatum: quoniã copula legitima eſt, Deo illi aſſiſtente ac probante. Qui enim moritur in Chriſto IESV, conſepultus cum illo per baptiſmum in mortem, non eſt iam ille vetus homo malus, qui deſtructus eſt per crucem, Sed homo nouus ex oſſibus CHRISTI regeneratus, & ex carne eius. Ecce vt bene ſeruit exemplum, & ſimilitudo, quæ de ſcripturarum ſapientia ſumitur, vt iam diximus. ¶ Sic igitur non inepte dici poteſt, originale peccatũ eſſe habere huiuſmodi concupiſcentiam, quam ex pacto tenemur non habere, &

ipſi ſua culpa in illud ſe coniecerunt, vt nequeant illud à ſe depellere, & conſequenter non habere (quemadmodum dictum eſt) per peccatum antiquum, quod omnes admiſimus in parente primo.

Et hæc eſt ratio, quare dicimus, in non renatis manere peccatũ: quia illi tenentur habere illam iuſtitiam aſtricti pacto, & conſequenter non habere iſtam concupiſcentiam. At poſtq̃ renatus eſt homo, ſolutus eſt ab eo debito habendi iuſtitiam illam: quia remiſſa eſt ei illa obligatio, quadam quaſi acceptilatione; quia credẽtibus in CHRISTVM Dominus accepto fert iuſtitiam, vt dixit B. Paulus. Et ideo non habens iuſtitiam illam, quam iam non tenetur habere; & conſequenter habens concupiſcentiam, quam iam non tenetur non habere; non inuenitur peccator. Et hæc ſatis pro declaratione, vt nouerit acutus lector circa hoc peccatum tenere, quid verè ſit peccatũ originale, & quanta ſit eiuſdem malitia: vt qui peccauimus illud in patre, etiam illud geſtemus in nobis in fructibus eius, donec liberemur ab illo: quos fructus habere etiã inuitis, peccatum eſt: quia peccando in patre, aliquo modo voluimus, & volentes ad hanc neceſſitatem redacti ſumus. Liberatis autem à peccato illo, fructus eius qui permanẽt, longè abſunt à ratione peccati, modo maneamus in CHRISTO.

Quo pacto renati in Chriſto, ab eo peccato liberati ſint.

SVpereſt ergo modo vt de huius peccati remedio loquamur, quo ipſum tollitur, et ab eo liberamur. Quo in loco diligenter conſiderãda ſunt, & mente repetenda quæ diximus, videlicet, quòd peccatum illud, cum fuerit actuale, ipſum quidem tranſiuit, & non fuit amplius in ſeipſo, ſed manſit in ſuis effectibus, quorum primus fuit offenſa Dei, vnde odium & iram Dei in nos contraximus. Offenſa enim ipſa manet, vt conſideratur in Deo ipſo offenſa concepta in animo ſuo (vt ita loquamur) incenſo indignatione, & parato ad iram atq; vindictam iuſtè. Manet enim offenſus Deus, etiam poſtq̃ tranſiit actus peccati: & ex hac Dei offenſa venit reatus aduerſus nos, qui eſt obligatio ad pœnas, ex quo pœnæ ipſæ iure infliguntur.

Primum igitur opus fuit ad tollendum effectus alios peccati, vt tolleretur offenſa Dei, ideſt, illa animi incenſio atq; indignatio, quæ nihil eſt aliud, q̃ ipſa diuina voluntas, & pronitas ad puniendum, quam ipſum peccatum ſua malignitate induxerat, & in ipſo Deo (vt ita loquar) excitarat. Sublata ergo fuit offenſa iſta Dei mira quadam compenſatione. Nam ſicut primi hominis inobedientia incẽdit animum Dei, etiã in oẽs qui ex illo prodirent; ita conuenientiſſimè alterius hominis obedientia ad placandum Deum ipſum oblata, pacauit eundem. Hæc fuit obedientia CHRISTI, quæ inobedientiã Adæ ſepeliuit, & in obliuionẽ tradidit in Deo, qui eius nõ recordatur amplius aduerſus quemlibet, modo

hæc ipſa obedientia applicetur illi per fidem & ſacramẽtum, vt quadam compenſatione illam inobedientiam in ſeipſo tollat de medio. Ait.n. homo nouus renatus in Chriſto. Peccaui fateor, in Adam exiſtens, vt inobediens tibi Pater ſancte: Sed nunc nõ ſum vlterius in illo, ſed in alio ſum, qui obediuit tibi: Et ideo mortuus ego ſum in priori homine, & obediens in illo filio tuo inuenior, & iam nõ peccator, in quo viuo per gratiam eius.

Verum Lutherani hic primum impingunt, volentes adhuc in nobis vigere peccatum. Ex quo loco vlterius progredientes, pergunt etiam amplius errare. Nam catholica fides huic homini recens in Chriſto renato, dicit. Ecce per obedientiam CHRISTI factum eſt, vt cenſitus ſis obediens ad induendum Chriſtum viuentem ex mortuis, vt ſis noua in illo creatura. Vide ergo vbi ſis: ſatage ibi manere, ne inde excidas, & deterius tibi aliquid contingat. Melius enim tibi eſſet nunq̃ veritate agnouiſſe, q̃ poſt agnitam, ſpreto mandato, ad priora reuerti, tanq̃ ſus lota in cænum rurſus ſeſe immergens. Habes enim & tu mãdatum crucis ſicut habuit Chriſtus. Imple mandatum, vt ſic maneas in illo, & coronaberis ſicut ille. Non enim tibi proderit illa Chriſti obedientia, niſi & tu permanſeris in obedientia. Vnde ille ait: Sicut dilexit me Pater, & ego dilexi vos: manete in dilectione mea. Si præcepta mea ſeruaueritis, manebitis in dilectione mea, ſicut & ego Patris mei præcepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc non ego, ſed ipſe Dominus. Ergo non ſolùm infidelitas aufert à nobis regnum Dei, vt ait poſitio lutherana, ſed & omnis alia tranſgreſſio, dicente B. Paulo: Nolite errare: neq; fornicarii, neq; idolis ſeruientes, neq; adulteri, neq; molles &c. regnum Dei poſſidebunt. Sed hactenus nunc de offenſa Dei, & eius pacatione.

Nunc de effectibus applicatæ nobis iuſtitiæ, & obedientiæ CHRISTI conſiderandum eſt è regione ad effectus illius inobedientiæ Adę. Poteſt enim illa Domini obedientia, quæ immẽſi & infiniti meriti fuit, duobus modis conſiderari ad redemptionis efficaciam, noſtræq; ſaluationis. Primus modus eſt, vt per eam ita quis fuerit redemptus ac ſaluatus, vt effectus illius peccati nullus ad eum peruenerit, tanq̃ gratioſè exceptum ab eo pacto, & propterea in mente Dei conſideratum non tanq̃ Adæ filium & peccatorem, vt per illam inobedientiam ſimul cum cæteris illum corruere de facto oportuerit. Qui modus, quoniam eſt exceptiuus à regula, & continet priuilegium, oportet vt etiam habeat certam & idoneam priuilegii rationem. Non enim eſt Deus acceptor perſonarum, ſed æterna ſua mente, ac ratione congruente, cuncta diſpoſuit in pondere, numero, ac menſura. Ergo hic modus eximius redimendi ac ſaluandi, non debuit concedi, niſi perſonæ alicui priuilegio illo dignæ: ita vt ſi ei non impertiretur, res abſona atq; abſurda, nec ferenda reſultaret. Et hanc perſonam iam cum vniuerſa eccleſia dicimus eſſe B. VIRGINEM electam, & prælectam ſingulariter, in qua priuilegii huius ſumma ratio facile à piis mentibus conſideratur: quoniã erat

prædeſtinata ſecundum ſpiritum: Sponſa CHRISTI, & Soror, & primogenita Dei inter multas filias præferenda omnibus Angelorum choris. Et ſecundum carnē erat pręelecta Mater Saluatoris: Vnde erat cōuenientiſſimum vt caro illa, quam ab eà ipſe Redemptor Deus accepit, per quam carnem facta eſt redemptio mundi, primū ac maxime, & hoc eximio modo applicaretur ad redemptionem ſuæ Matri ac dilectiſſimæ Sorori, & Sponſæ.

Igitur reſpectu Matris ſuæ hæc obedientia Chriſti, quæ à Deo præuiſa fuit, & acceptata ad condigna præmia, tantum profuit ei, vt licet ipſa eſſet filia Adæ, & ſecundum iſtam conſiderationem debuiſſet cum cæteris perire, & ſic particeps eſſe pacti, communiſq; ruinæ; tamen quia electa erat in Matrem, & Sororem & Sponſam præordinati Redemptoris, non placuit Deo, vt illa ſub illa generali regula ante oculos diuinæ ſuæ ſapientię comprehenderetur: & hoc maxime propter honorem Filii, qui maluit conſiderare vnde ipſe eſſet venturus ſecundum carnem, q̃ vnde illa veniſſet. Adde & in ſerpentis inuidiam, ne quando dicere poſſet: Ego poſſedi aliquando Sponſam tuam, & Reginam Matrem. Quod tam indignum abſurdum vehementer miror à piis auribus nulla offenſione admitti. Sed non hic diſputandi locus de hac re.

Alius ergo modus redemptionis & ſaluationis communis omnium fuit, vt omnis in hunc mundum veniens (præter illam vnicam Beatiſſimam VIRGINEM) pro aliquo tempore ſiue in materno vtero, ſiue extra, contineretur ſub patre Adam in pacto illius ruinæ, & ita fuerit pro illo tempore vacuus gratiæ Dei, & iræ filius, ac dignus cominata morte, niſi illi poſtmodo applicata fuerit aliquando obediētia CHRISTI, vt ab eo peccato penitus liberari poſſet, & ab illius peccati pœnis. Quod quomodo verum ſit; videamus & expendamus ſingulas eius pœnas.

Cum igitur primam, & ſecūdam pœnam illius peccati dixerimus eſſe carentiam gratiæ, & conſequenter amiſſionem ſpei vitæ æternæ: per obedientiam IESV CHRISTI nobis imputatam & applicatum, manifeſtum eſt, quod hęc ſumma, præcipua, ac pretioſa dona, hoc eſt, fidem, ſpem, & charitatem omnes recuperamus, qui intramus in Chriſtum. Nā efficimur filii Dei accepta iuſtitia, quæ eſt charitas. Vnde Apoſtolus: Spe ſalui facti ſumus. Hanc fidem, ſpem, & charitatem non amiſit B. VIRGO: quia nunq̃ in rerum natura ſine illis fuit, quas per filium ſuum etiā meruit obtinere in ſummo atq; excellenti gradu ſuper omnes filios & filias Adę. Vnde illi ſingulariter dictum fuit ab Angelo: Gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu inter mulieres. Et à cognata: Beata quæ credidiſti &c.

Diximus ſecundam pœnam fuiſſe ignorantiam diuinorū, à qua etiam pie credimus præſeruatā fuiſſe gratioſam illam VIRGINEM vt pote cunctis donis Spiritus à primo articulo conceptionis ſuę informatam. De qua re nec hic diſſerendi locus. In aliis vero cunctis, qui

ab hoc peccato abſoluuntur, nō eſt dubium reſtitui illis notitiam diui-norum,& bonæ voluntatis diuinæ erga nos: quoniam facti ſumus omnes dociles Dei,vel edocti à Deo,& repleta eſt,iuxta prophetarum oracula, terra ſcientia. Verum eſt tamen,quòd adhuc non plenè, neq; perfectè ſumus reparati hac parte,ſi ad priorem ſtatum reſpiciamus,in quo & clarior multo fuiſſet ſcientia,& à cūctis erroribus expurgata: quod non eſt in hoc ſtatu ſub CHRISTO; & merito: quia nos fecimus ipſam Dei ſapientiam præ amore noſtri ad redimendum nos (vt ita dixerim) ſtulteſcere, & inſanire: quod & B. Paulus non eſt veritus dicere. Verū ſatis eſt,quod per ipſum Chriſtum vnicuiq; datum eſt tātum ſcire, q̃tum ei ſatis ſit ad ſalutem. Reliqua autem omnis (inuincibilis tamen) ignorantia non ſolum non imputatur in culpam,verum etiam,ſi æquo propter Chriſtum animo feratur, parit meritum.

Diximus tertiam pœnam eſſe mentis affectionem ad carnem veluti ad pellicem adamatam, & ſic ad ea,quæ ſunt mundi:vnde homo non ſolum carnalis,ſed caro ipſa ſæpenumero in ſcripturis vocatur: quia in hac natura corrupta,à Deo disiunctus,iis applicatur,quæ ſunt carnis, & mundi. At ab hac pœna B. illa Virgo perpetuo prçſeruata eſt,ſicut ab ipſo peccato,propter excellentiſſimam gratiam. Vnde omnis eius vita & actio (vt aiunt S. Doctores) ſemper fuit intenta in Domino. Alii verò plus vel minus liberati ſunt ab hac pęna ſecundum propriam fidei menſuram. Attamen omnes ſic liberati ſunt, vt (ſicut docet B. Thomas de charitatis efficacia loquens) qui minimū habeant charitatis gradum,cuncta ſua deſideria diuinæ voluntati ſupponant & ſubdant, dicentes ex corde: Fiat voluntas tua &c. Et fidelem eſſe Deum,qui non patietur tentari quemq̃ ex filiis, ſupra q̃ pati valeat, ſed faciet etiam cum tentatione prouentum.

Diximus quartam pœnam eſſe carnis petulantiam,id eſt,concupiſcibilitatem illam,quæ naturaliter ineſt carni,vt appetat inferiora & terrena: quæ certe peccatum non eſt,ſed repugnans legi mentis,ideſt, charitati Dei,allicit mentem ad peccatum:nec tātum allicit,verum etiam dominatur menti,quæ eſt vacua charitate. Ab hac item pœna præſeruatam fuiſſe B. Virginem nemo iam debet dubitare,quam credit ab omni peccato immunem. Vnde ſingulariter de illa dicitur: Tota pulchra es amica mea,& macula nō eſt in te. Licet enim non fuerit ei datum illud iuſtitiæ originalis donum,quod omnes amiſimus; tamen aduerſus naturalem carnis fomitem ſuppleuit ſumma gratiæ abundātia,vt in illa ſemper eſſet crucifixus & maneret extinctus. In cæteris vero renatis non quidem ſublatus eſt, & ſi nonnihil vi gratiæ ac ſacramētorum repreſſus, & amittens dominatum,qui tamen manſerint ſub gratia. Vnde B. Paulus: Peccatum vobis non dominabitur: non enim eſtis ſub lege,ſed ſub gratiā. Quamobrem oportet ſemper orare,& nunquam deficere, propter nunc noſtem domeſticum,& ſemper dicere: Ne nos inducas in tentationem. Quamuis enim nemo tam vigil inueniatur, & tam Deo in-

tentus,vt ab hoc hoſte aliquando præoccupatus non aliqua labe conta minetur,hæc tamen culpa venialis eſt,'& cotidiana oratione ; Dimitte nobis peccata noſtra;abſumitur,nec imputatur : Et multis item aliis re mediis,modo non ſit moroſa delectatio, & maior aliqua culpa,quam in viris perfectis,velut in Io. Baptiſta,Apoſtolis,& excellenti gratia prædi tis, meo quidem qualicūq; iudicio, non ſit facile inuenire. Non enim debemus noſtra,& cōmuni regula,metiri illos eouſq; Deo dilectos, vt ſpi ritu S. pleni dicātur in ſcripturis,innocētes & perfecti,viri miſericordię, & ambulantes in iuſtitia & veritate coram Deo,'non coram hominibus. Quicquid tamen ſit de iſtis,hoc certum eſt,nobis eſſe hoſtem domeſticū relictum nō iam ad pęnam,hoc eſt,ad ſupplicium peccati, ſed (vt inquit B. Auguſtinus) ad certamē,& exercitium ac meritum, vt ſimus pruden tes, humiles,vigiles,inſtantes orationi, & aſſiduè ad pugnam parati,ca ſtigantes ipſam carnem,& in ſeruitutem redigentes, vt vel inuita ſeruiat Deo in terris,vt valeat tandem coronari in cęlis. Audi B. Auguſtinum acute lector,qui in libro.2.de pecc.mer.& rem.de his peccati pęnis no bis relictis,ait: Ante remiſſionem peccati ſupplicia ſunt: at poſt remiſ ſionem,certamina & exercitationes iuſtorum,&c. Quare & mortem fide & patientia & æquanimitate ſuſceptam,dicit eſſe iuſta mercede retribu endam. Et verè aliter à catholico dici non poteſt. Si.n.adhuc eſſent pęna illius peccati; vera eſſet lutherana poſitio,videlicet, peccatum nō eſſe ſublatum per baptiſmum: & falſa eſſet catholica doctrina,quæ om nem peccatorum reatum prædicat extingui. Certè per baptiſmum tol luntur omnia pręcedētia actualia peccata,& omnis pęna eis debita: hoc omnes confitentur. Si ergo tolluntur pœnę debitæ actualibus propriis peccatis,quanto magis debitæ originali,quod propria culpa non con trahitur?

Diximus quintam pœnam fuiſſe diaboli dominatum: A qua pœna liberata fuit VIRGO illa ſanctiſſima, ita vt nunq̄ fuerit in eius po teſtate. Nos autem cum primū nobis applicatum fuerit meritum Chri ſti per fidem & ſacramentum, continuo ab eius dominatu eripimur, ita vt præter illam Deiparam,nullus non fuerit aliquando ſub illo ſerpen te Satana,cui oportet nos abrenunciare,& omnibus pōpis eius.Tametſi igitur amiſerit ille dominatum, non tamen prohibetur iterum tentare liberatos,vt iterum ſupplantet eos,& captiuos reddat,ſciēs quòd à quo quis ſuperatus eſt,eius & ſeruus eſt. Verum ſententia Dei fuit de imma culata VIRGINE contra illum: Inimicitias ponam inter te & mu lierem,& ipſa conteret caput tuum. Superauit ergo illum mulier illa ſingularis nunq̄ ab eo ſuperata, nec tacta quidem; vt vna hæc eſſet,quæ caput Holofernis amputauerit. Et illa mulier fortis, quæ matri ſuæ Heuæ opponeretur,vt (ſicut eleganter ait D. Irenæus) obedientia ſa pientis VIRGINIS inobedientiam fatuę virginis cōpenſaret,ęqua lance ſic re diſpoſita: ſicut ſecūdus Adam primo Adæ oppoſitus, eius præuaricationem è medio ſuſtulit. Non nego tamen de diabolo,

quòd in hoc ſtatu permittitur inſidioſius nos adoriri, vt niſi homo vigilet, rarus ſit qui eius dolis improuiſus non illudatur. Verum ſatis eſt ne prudens ſuccumbat ac volens. Nam & certamen hoc cum illo ad noſtram eruditionem, atq; probationem permiſſum eſt, vt vincamus eum, qui nunq̃ poterit ſupplantare nolentes, & non negligentes: ſed auxiliũ Dei ſupplantabit illum citò, & velociter ſub pedibus noſtris, niſi nos ſocordia noſtra, ſeu malitia, nobis ipſis defuerimus.

Diximus ſextam pœnam, exilium fuiſſe paradiſi, & inobedientiã reliquarum creaturarum, & animalium amiſſa obſequia, quæ alioqui fuiſſent promptiſſima. Sed ſub hac pœna (non tamen vt pœna) comprehenſam fuiſſe B. VIRGINEM fatemur: quoniam & illa delitiis paradiſi caruit, & obſequiis creaturarũ, q̃tum tamẽ decuit, ac placuit Deo, vt conformis magis fieret dilectiſſimo filio ſuo, qui venit in forma ſerui exinanitus, deſpectus, & nouiſſimus virorum. Vnde nec reputauimus eũ, » inquit propheta. Et ipſemet: Ego ſum vermis & non homo, opprobriũ » hominum, & abiectio plebis. Quare & omnes renati in Chriſto debent » hoc exilium ferre & peregrinationem libenter, imò cum gaudio, vt ſint vera illius membra, qui à vero Dei paradiſo ſeipſum quodammodo expulit: & cum veniſſet in mundum, à mundo reprobatus eſt, proſcriptus, & crucifixus.

Diximus ſeptimam pœnam eſſe timorem mortis ac dominatũ, mortem deniq; ipſam, & perfectam corporis corruptionem. Et à timore quidem atque dominatu mortis nos eſſe liberatos per Chriſtum, docet Apoſtolus ad Hebr. Non enim metuebat mortem, qui dicebat: Cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto. Et alius qui exhalans animam aiebat. Vi» deo cœlos apertos, & IESVM ſtantem à dextris virtutis Dei. Erat » in primo fęlicitatis ſtatu ante peccatum mors turpis in homine, inhonora: & ideo non permiſſa a Domino Deo. Venit alius ſtatus miſeriæ, & mors irrupit, & Dominus mortuus eſt pro vita noſtra, & nos in alium ſtatum poſuit, in quo iam non turpis facta eſt mors, ſed ſpecioſa, honorifica, & pretioſa, eorũ tamen qui manent in Chriſto. Vnde ſcriptum eſt: Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius. Vnde » mirabili opera Dei factum eſt, vt quod erat pœna peccati, factum ſit exercitium virtutis: Et quod peccatoris eſt ſupplicium, iuſti fiat meritũ. Vnde Dominus: Nolite timere, inquit, eos qui corpus poſſunt occide» re, poſteà non habent quid faciant. Quare Beatiſſimam quoq; VIR» GINEM eſſe mortuam, à nemine vertitur in dubium. Næc.n.decẽs erat, illam a morte præſeruari, quæ in huiuſmodi pœnis ac doloribus maxime & propinquiſſime debuit filio configurari, & commune mortis debitum ad meritum in Chriſto contractum, non in veteri Adam ad ſupplicium, perſoluere (intellige lector acute quod dico) quoniam ipſa B. VIRGO nunq̃ conſiderata eſt in Adam patre, ſed in Chriſto Sponſo & filio. Vnde fit vt etiam nos regenerati moriamur, non in Adam, ſed in Chriſto, vt ait ſcriptura frequenter. Beati mortui (ait Dilectus) qui »

in Domino moriuntur.

Multa ſunt alia, ſi locus pateretur, quæ in gloriam Matris Dei dici poſſent. Illud cum eccleſia ſancta firmiter credo, quòd illa nunq̃ fuit in puluerẽ reſoluta, & vt illa ſententia: Puluis es, & in puluerem reuerteris, ad illam non pertinuerit. Nunq̃ enim illud beatiſſimum corpus corruptum fuit: quoniam & ad illam conſequenter attinebat (vt teſtis eſt B. Auguſtinus) Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem: quoniam caro CHRISTI & VIRGINIS vna erat. Verum et alius Prophetæ locus euidentius hoc myſterium probat, quum ait: Surge Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ. De qua re etiam proprios conſcripſi tractatus. Ex his autem omnibus planè concluditur, per Chriſtum eſſe nos liberatos ab omni peccato, non tamen ab omni malo: Sed cuncta mala nobis tandem ceſſura in bonum, & gloriam, modò hîc boni æmulatores, vt ait Princeps Apoſtolorum, fuerimus. Erit enim tũc fides noſtra multò pretioſior auro ipſo, quod per ignem probari ſolet. Nam illuc nos ipſa perducet, vbi ſublato penitus omni malo, inuenitur omne bonum, ſumma & ſempiterna fœlicitas, & poſt varias in iſto laborioſo vitæ curſu ſuperatas difficultates, ſecuriſſima quies, finiſq; laborum omnium. Hic eſt Deus verus, vita æterna, Pater & Filius & Spiritus Sanctus: Ipſi honor, gloria, & imperiũ ſempiternum Amen.

Diſputatio de fomite, quòd non ſit verè ac propriè peccatum in renatis.

DE FOMITE SEV CONCVPISCENTIA carnis, cum qua naſcimur, quod in renatis nullam habeat veram propriamq; peccati rationem, manifeſtis argumentis euincitur.

Primum. Nihil habet veram rationem culpę & peccati meritò imputabilis, quod nõ ſit voluntariũ, & non poſſit vitari, ſicut B. Auguſtinus docet, & cõmunis animorum conceptio ſatis probat. Hæc autem concupiſcentia nec voluntaria eſt, nec vitari poteſt, vt ex ſe patet; ergo &c. Nec dicat mihi quiſq̃, concupiſcentiam iſtam eſſe voluntariam voluntate Adæ. Nam renati, iam non ſunt in Adam, ſed in CHRISTO: iuxta quod legimus: Quicunq; baptizati eſtis in CHRISTO, CHRISTVM induiſtis.

Lib.3.de lib. arb.

Secundo. Communis eſt omnium catholicorum conſenſus, & de ſcripturis, & traditionibus acceptus, baptiſmo tolli penitus cuncta peccata, iuxta prophetæ vaticinium: Effundam ſuper vos aquam mũdam & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris. Vnde Apoſtolus: Sed abluti eſtis, ſed ſãctificati eſtis, ſed iuſtificati eſtis. Et B. Petrus: Quaſi

modo

modo geniti infantes, ſine dolo lac concupiſcite. Quis igitur auſit cõtradicere Spirituiſancto per os prophetarum, & Apoſtolorum, & omnium eccleſiarum loquenti?

Tertio. Qui aliter docent, derogant gratiæ, & beneficio CHRISTI. Quod enim (obſecro) eſt beneficium maius, accipere gratiam ita, vt peccatum non ſolum non imputetur, ſed etiam tollatur, an verò vt ſolum non imputetur, maneat tamen in nobis? Quis dubitet? Et tamen illi, qui ita docent, dicunt ſe gratiam Chriſti magnificare.

Quarto. Apoſtolus opponens delicto Adæ Chriſti donum, vult omnino donum excedere delictum. Quo autem pacto id verum eſſet, niſi delictũ omnino tolleretur per donũ, & quicquid habet rationẽ peccati? Rom. 5.

Quinto. Quis non videat non ſolum falſum, ſed etiam prorſus fatuum eſſe, ponere peccatum in parte carnis, ſiue ſenſualitatis, nullo adiecto conſenſu aut annexu voluntatis & rationis, vt ſic in brutis detur inuenire peccatum? Scio quòd aliter aiunt ſe accipere carnem, videlicet, pro toto homine: ſed reuera natus ex ſpiritu (teſte Domino) ſpiritus eſt, non caro: de quo tamen dicemus inferius latius.

Sexto. Quodcunq; coinquinat hominem, eſt peccatum; & nihil coinquinat hominem, niſi (ſumma veritate teſte) quod exit de corde. Non igitur concupiſcentia iſta in renatis coinquinat hominem, cum nõ ſit actus, & non ſit inter ea, quæ exeunt de corde. Non igitur eſt peccatũ.

Septimo. Quodcunq; ineſt nobis Dei prouidentia & pacto, impiũ eſt vocare illud peccatum. In renatis autem relinquitur & ineſt concupiſcentia iſta, proculdubio ordinatione & pacto Dei inito nobiſcum in CHRISTO ad certamen & meritum, vt docet B. Auguſtinus; Impium eſt igitur putare illam eſſe peccatũ ſub propria ratione peccati.

Octauo. Si illa verè peccatum eſt; etiam pueri, & quicunque renati in CHRISTO, peccatores dicerentur, & ita non euolarent defuncti ſtatim in cœlum. Et Chriſtus eſſet peccati miniſter: quod exhorrens Apoſtolus ait: Quòd ſi quærentes iuſtificari in Chriſto, inuenti »
ſumus & ipſi peccatores, nunquid Chriſtus peccati miniſter eſt? Abſit. »
Et hæc ſatis pro veritate.

Dilutio argumentorum quibus mouentur Lutherani.

QVoniam verò ex aduerſo argumentantur hæretici; obuiam eundum eſt eis. Mouentur. n. primùm quidem ex Apoſtolo, qui eiuſmodi fomitem vocat peccatum; & neſcio quis ex doctoribus orthodoxis appellauit iniquitatem. Reſpondeo: Detritum nimis eſſe hoc argumentum & oneroſum, cum iam nemo neſciat, Apoſtolum ibi figuratè fuiſſe locutum, ſicut B. Auguſtinus docet, & omnis ſchola. Et eodem modo reſpondendum eſt, ſi qui alii ſimiliter ſunt loquuti. Nam ſi ad rigorem verborum ſemper licet nos aſtringi, profectò in multos ac

pernicioſos laberemur errores. Diceretur enim & ipſe CHRISTVS eſſe verè & propriè peccatum, & maledictum; quia ſic illum Apoſtolus vocat. Quod eſt vel cogitatu horrendum.

Verum inſtant ex verbis Auguſtini illis. Concupiſcentia, aduerſus quam bonus concupiſcit ſpiritus, & peccatum eſt: quia ineſt illi inobedientia contra dominatum mentis; & pœna peccati: quia reddita eſt meritis inobedientię; & cauſa peccati, defectione conſentientis, vel contagione naſcentis. Ecce, inquiunt, quòd concupiſcentia dicitur eſſe peccatum apud B. Auguſtinum. Sed aduertant, qui hunc locum afferunt, quòd B. Auguſtinus ibi impropriè vocauit peccatum, ſicut ipſemet innumeris locis declarat, ad quę tamen quidam ſurdas aures habet. Impoſſibile eſt enim ſub ratione peccati contineri concupiſcentiam iſtam, niſi æquiuocè & ſecundum analogiam, cum non ſit actus, ſed potius habitus, & mala quædam diſpoſitio. At reuerà ratio peccati actũ dicit, non habitum: quemadmodum B. Auguſtinus definiuit. Porrò actus & habitus ſub diuerſis generibus comprehenduntur. Vnde non poſſunt vniuocè ſub vna ratione comprehendi. Dixit ergo peccatum concupiſcentiam ſecundum analogiam, quam ipſemet declarauit. Sicut enim ſanum propriè dicitur de animali, & analogicè de cibo, vel de medicina; Et de animali quidem: quia verè illi competit habere ſanitatem; De medicina verò & cibo: quia illis ineſt virtus ad ſanitatem; Sic dicetur concupiſcentia peccatum, non quia ipſa ſit inobedientia, ſed quia ineſt illi inobedientia, nimirũ virtualiter: ſicut ſanitas in cibo vel in medicina ineſt non verè, ſed virtualiter, vt ita dicamus. Quòd ſi ita accipitur Auguſtini dictum, vt certè accipi debet à vi verborum; nihil contra nos afferunt, ſed pro nobis. Sin in aliũ ſenſum detorqueant, ipſemet B. Auguſtinus reluctatur. Nam cùm manere concupiſcentiam diceret in renatis; Pelagiani inferebant, eum dicere, ꝙ baptiſmo non dabatur omnino indulgentia peccatorũ, ſed magis radebantur peccata. Ille verò in eos hanc calumniam diluit his verbis: Quis hoc aduerſus Pelagianos niſi infidelis affirmet? Dicimus enim baptiſma dare omnium indulgentiam peccatorum, & auferre crimina, non radere, nec vt omnium peccatorum radices in mala carne teneantur, quaſi raſorum in capite capillorum, vnde creſcant iterum reſecanda peccata. Nam & iſtam ſimilitudinẽ comperi ſuæ illos adhibere calumniæ, tanq̃ hoc nos ſentiamus atq; dicamus. Sed de iſta concupiſcentia carnis falli eos credo, vel fallere, cum qua neceſſe eſt vt etiam baptizatus, & hoc ſi diligentiſſimè proficit, & ſpiritu dei agitur; pia mente confligat. Sed hæc etiã ſi vocatur peccatum, non vtiq; quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic vocatur: ſicut ſcriptura manus cuiuſq; dicitur, quòd manus eã fecerit. Peccata autem ſunt, quæ ſecundum carnis concupiſcentiam, vel ignorantiam, illicite fiunt, dicuntur, cogitantur: quæ tranſacta etiã reos tenent, ſi non remittantur. Et iſta ipſa carnis concupiſcentia in baptiſmo ſic dimittitur, vt quamq̃ tracta ſit à naſcentibus, nihil noceat

Contra Iulianum.

Lib. 1. contra duas Epiſt. pelagianorũ capit. 13.

renaſcentibus. Ex quibus tamen ſi filios carnaliter gignunt, rurſus trahitur, rurſuſq; & nocitura naſcentibus, niſi eadem forma renaſcentibus remittatur, & inſit nihil obfutura vitæ futuræ: quoniam reatus eius generatione tractus; regeneratione dimiſſus eſt. Et ideò iam non ſit peccatum, ſed ſic vocetur, ſiue quòd peccato facta ſit, ſiue quòd peccandi delectatione moueatur, etſi ei, vincente delectatione iuſtitiæ, non conſentiatur. Nec propter ipſam, cuius iam reatus lauacro regenerationis abſumptus eſt, dicunt in oratione baptizati: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Sed propter peccata, quæ fiunt ſiue in eius conſenſionibus, cum ab eo quodlibet vincitur quod placet, ſiue cum per ignorantiam malum quaſi bonũ placet. Hæc ille. Vbi ſatis ſuperq; oſtendit falsò ſibi impingi hanc hæreſim, videlicet, Baptiſmo non penitus auferri peccata, vt ſit opus renatos orantes Dimitte nobis debita noſtra, orare propter iſtam cõcupiſcentiam, quaſi illa peccatum ſit. Oramus tamen pro illicita voluntatis inclinatione, cũ illi aſſentimus, & auxilium petimus ne illi conſentiamus. Et quia ſub hoc malorum pondere ingemiſcimus; petimus liberari ab illo, tanq̃ à quodam malo, non tamen peccato. Non enim negamus eſſe malum concupiſcentiam hanc, & quandam deordinationem reſpectu dignitatis hominis, & ſecundum naturam integram, quæ magis propriè natura dicitur. Sed non omne malum, eſt peccatum. Et licet abſolutè nullũ malum Deo placeat, vt malum eſt; tamen in hoc homine, & in hoc ſtatu, vt eſt ordinatum à Deo, non eſt malum, ſed bonum: nec eſt odio dignũ, quatenus ex illo proficere poſſumus, ſi legitimè certemus. Nam boni milites CHRISTI bellum amant propter victoriam, ſcientes quòd fidelis eſt Deus, qui non permittit tentationem ſuperare vires, quas ipſe roborat, vt faciat cum tentatione prouentum. Hæc paſſim docet B. Auguſtinus, & particulariter contra Iulianum.

Inſtant. Quodcunq; Deus iubet nos habere odio, illud peccatum eſt. Iubet autem Deus nos habere odio concupiſcentiam iſtam. Reſpõdeo: Hoc argumento ſi valeat; etiam probatur quòd anima noſtra eſt peccatum, cum ſit & ipſa odio habenda. At reuera non iubet nos Deus, vt habeamus odio animam noſtram, neq; carnem noſtram, niſi quatenus plus illam diligeremus, quàm Deum. Sic enim ipſe iubet nos habere odio omnem creaturam, patrem, matrem, vxorem, liberos &c. Inimici .n. hominis domeſtici eius: nec tamen iſta ſunt peccata. Alioqui tenemur & carnem, & animam noſtram diligere: quam diligimus, ſi eam ſubdamus Deo, & caſtigemus, & in ſeruitutem redigamus. Vnde ait: Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Verum eſt ergo, quòd Deus vult habere nos odio ſolummodo peccatũ, & non aliud, niſi quatenus adducat ad illud: & in hunc modum iubet nos odio habere omnem creaturam, nõ ſolum iſtam concupiſcentiam.

Inſtant. Repugnat iſta cõcupiſcentia legi Dei: ergo eſt peccatum. Reſpondeo: Non quodcunq; repugnat legi Dei, eſt peccatum, niſi repu

gnet legi ſibi inditæ à Deo ? At caro, & concupiſcentia non repugnat legi ſibi inditæ à Deo, ſed legi ſpiritus inditæ menti, non ſibi. Non ergo caro illiciens mentem ad malum peccat: quia ipſa facit quod debet, & quod facere iubetur à Deo, iuxta legem ſibi ab eo inditam. Quamobrem rectè B. Auguſtinus ait. Attende (quæſo) vtrum rectè vituperes quod ita eſt, ſicut eſſe debuit. Non opinor, ſed vtiq; quod non ita eſt, vt debuit eſſe. Homo igitur eſt qui peccat, carni conſentiens, qui facit quod facere non debet, repugnans legi ſibi inditæ in mente. Quod autem caro facit, non facit ille, niſi conſentiat, vt docet Apoſtolus. Caro autem ipſa ſola faciens, facit quod debet, habens aliam legem a lege mentis.

Inſtant, quia Apoſtolus ait: Sapientia carnis inimica eſt Deo. Reſpondeo: Non dicitur inimica Deo caro, ſeu concupiſcentia apud B. Paulum, ſed ipſa ſapientia, aut prudentia actualis carnis, ideſt, affectus hominis ſecundum carnem ſapientis. Vnde manifeſtè ait: Qui enim ſe
» cundum carnem ſunt; quę carnis ſunt ſapiunt: qui vero ſecundum ſpiri-
» tum ſunt; quæ ſunt ſpiritus ſapiunt. Nam prudentia carnis mors eſt:
» prudentia autem ſpiritus, vita & pax: quoniam ſapientia carnis inimica eſt Deo, vel inimicitia in Deum: hoc eſt, per ipſam carnis ſapientiam cum homo ſapit, ideſt, probat quæ ſunt carnalia, conſtituitur inimicus Deo. Quare locus ille non contra nos, ſed pro nobis facit: quoniam de iis qui ſunt ſecundum ſpiritum ait, quòd ſapiunt quæ ſunt ſpiritus, & ideò nihil eſt in eis dignum odio, & damnatione. De his vero qui ſunt ſecundum carnem, aut in carne, hoc eſt, qui delectantur cum carne, ait ꝙ non placent Deo.

Inſtant. Deus diligit ſpiritum, ergo odit carnem: quia ſunt contraria. Reſpondeo. Deus diligit ignem, ergo odit aquam: quia contraria ſunt. Quòd ſi hoc eſt manifeſte ridiculum; ergo & illud minime validum. Non enim Deus contrariorum quicq̃ odit, niſi quod eſt contrarium & aduerſum ſibi, vt eſt peccator, & peccatum.

Inſtant. Qui odit fructus, odit & radicem. Fructus autem huius cõcupiſcentiæ ſunt peccata, quæ odit Deus. Reſpondeo. Fructus concupiſcentiæ non ſunt peccata, ſed ſunt illecebræ potius & incitaměta, quæ Deus ordinauit vt per illa exerceremur. Radix autem peccati vera, eſt mala voluntas mentis, quæ aſſentitur carni, & hæc diſplicet Deo, quæ non eſt in renatis, niſi ipſi ſpontè ſibi faciant eam. Vnde Apoſtolus cum nobis opera carnis declarat eſſe fornicationem immunditiam &c. non de ſola carne loquitur, ſed de homine addicto carni, & ſectante placita eius.

Inſtant. Hæc concupiſcentia non eſt à Deo: quia exſtimulat ad peccatum. Deus autem intentator eſt malorum. Reſpondeo. Deus eſt intentator verè malorum: quia ipſe non intendit vt faciamus peccatum. Et concupiſcentia iſta eſt à Deo: quia à natura carnis eſt, quę à Deo eſt, ab illo relicta nobis, non vt exſtimulati ab ea peccemus, ſed vt reſiſta-

mus ei, & reſiſtentes habeamus coronam. Vnde non magis eſt hæc peccatum, quàm ſtimulus datus carni B. Pauli, vt ſeruaretur in humilitate, & cognitione ſui: quia virtus in infirmitate perficitur.

Inſtant. Cur non reſtituit nos Deus per Chriſtum in originalem priorem iuſtitiam, & ſine iſta deordinatione? Reſpondeo. Primùm hæc quæſtio communis eſt: deinde nos etiam rogabimus, Quare Deus miſit Filium ſuum in mundum in forma ſerui? Nonne aliqua deordinatio eſt, eum qui non fecerat peccatum, ſed ſui natura impollutus, erat Deus verus de Deo vero, mittere ſic exinanitum? Dicent, hæc inordinatio placuit Deo pro tempore, ad reordinādum inordinata propter peccatum. Et nos ſimiliter dicimus, Deum reliquiſſe nobis hanc deordinationem in hoc tempore, ad reſtituendum ordinem: quia ſic decebat in hoc ſtatu poſt primum peccatum, ad humiliandum nos, & cogitandum, ſi nos ipſum Chriſtum deordinauimus, cui conueniebat venire in forma Dei, & propter nos venit in forma ſerui, exinanitus, infirmus, inglorius; nihil eſſe mirum ſi & nos interim ad momentum debemus ſuſtinere huiuſmodi deordinationes & mala propter ipſum, non tamē peccata, nec tam in pœnam peccati, quod eſt ſublatum, ſed ad exercitium & meritum, ſicut dictum eſt, vt totus ordo aliquando reſtituatur.

Inſtant. Caro & ſanguis non poſſidebunt regnum Dei. Fatemur: quia ibi per carnem & ſanguinem intelliguntur peccatores. Caro autem iſta noſtra intrabit in regnum Dei: quia placet Deo, quāuis tunc aberit omnis deordinatio & infirmitas, quæ etſi hic diſplicet propter inordinationē, placet tamen propter agonem: ibi autem placebit propter triumphum: Nam quæ decent in vno ſtatu, dedecent in alio: & quæ decent in militia, in triumpho non decent: ſicut & quæ decent in via, non decent in patria: & quæ decent in nocte, non decent in die. Si autem caro noſtra diſpliceret Deo, cur ſanctorū reliquias veneraremur? Si caro eſſe ſancta non poteſt, quomodo diceret Apoſtolus de muliere virgine: Vt ſit ſancta mēte & corpore? Et Dominus: Capilli capitis veſtri enumerati ſunt? Scio quòd reſpondebunt, loqui ſe de carne viua, non de mortua: quaſi Deus minus diligat viuā ſancti viri carnē cum ſeruit Deo, quàm mortuam & factam puluerem & cadauer. Item dicent, ſe loqui de concupiſcentia carnis, non de carne. At ego idem intelligo per carnem, in qua eſt ipſa concupiſcentia, ſiue concupiſcibilitas. Quid enim differt ad rem, dicere concupiſcentiam carnis, an carnem concupiſcentem, id eſt, in qua ineſt vis ad concupiſcendum? Sed de hoc inferius ſuo loco tractabimus.

Inſtant. Si nihil odio Deus habet in renatis; ergo impeccabiles erūt. Negatur ſequela. Nam & in Adam anteq̄ peccaſſet, nihil odio dignum erat, & tamen non erat impeccabilis. Non eſt ergo verum: Quodcūque eſt peccabile, eſt odio dignum. Nam eſſe peccabile, eſt proprium creaturæ: & ſolus Deus vere eſt impeccabilis: quia ex ſe ipſo talis eſt: creatura autem, vt creatura, non eſt odio Dei digna.

Inſtant. Homo etiam renatus, carne ſeruit legi peccati: ergo caro odioſa eſt Deo. Reſpondeo: Homo renatus dicitur carne ſeruire legi peccati in hunc ſenſum, vt intelligamus ſtatum renati in quo eſt, videlicet, in ſemetipſo diuiſus, vt potè habens carnem pronam ad terram, mentem autem erectam ad cœlum, ita vt ſi declinet, & mente ambulet ſecundum carnem, moriatur: ſi autem ſecũdum ſpiritum, viuat. Nam
» cum quis à concupiſcentia tentante allicitur, & abſtrahitur; tunc concu-
» piſcentia concipit peccatum, ait Frater Domini: quod cum fuerit con-
» ſumatum, videlicet, pleno conſenſu; generat mortem. Alioqui carne concupiſcente aduerſus ſpiritum, ipſa autem ratione repugnante, po-
» teſt iure homo ſe excuſare, ac dicere. Ego non operor illud, ſed quod
» habitat in me peccatum, aut potius malum.

Inſtant. Per iſtam concupiſcentiam non poſſumus implere illud præceptum legis: Non concupiſces. Quomodo ergo concupiſcentia iſta non erit odio Deo? Reſpondeo: Irrogatur iniquitas Deo, ſi dicitur, quod ille nobis præcipiat impoſſibilia: contra quod Dilectus ait: Et
» mandata eius grauia non ſunt. Et Apoſtolus ex Deuteronomio: Pro-
» pe eſt verbum in ore tuo, & in corde tuo, vt facias illud. Non me latet hoc in loco hæſiſſe B. Auguſtinum, & (ni fallor) inconſtanter eſſe locutum. Si enim præcepit Deus nobis, etiam in lege gratiæ, ne concupiſcamus, poſſumus ergo non concupiſcere. Quòd ſi non poſſimus non concupiſcere, vt ipſe D. Auguſtinus videtur aliquando fateri, Non eſt igitur præceptum in lege gratiæ: Non concupiſces: contra quod tamen ipſe Auguſtinus in libro de ſpiritu & litera docet. Quare hoc mihi omnino inopinabile videtur, quòd Deus in lege ſua præcipiat carni ne concupiſcat. Præceptum enim eſt homini, non carni. Quod ſi homini; ergo illi præcipitur ſecundum partem ſuperiorem præcepti capacem. Nam ipſa caro potius contrarium habet Dei præceptum, videlicet, vt concupiſcat: quamq̃ non propriè dicitur præceptum, niſi quod ſolum ſpectat ad partem rationalem. Quare idem eſt dicere homini: Non concupiſcas, quod eſt ſi dixiſſet: Non conſentias, neq; ambules ſecundũ concupiſcentias tuas. Sed non hic opus eſt aggredi quęſtionẽ, quæ longiorem exigeret tractatum. De qua re tamen ego fuſius ſcripſi in aliis libellis noſtris. Nunc ſolum illud dixerim, quòd abſq; dubio ſuſcipiendum eſt, videlicet, nec Deum præcipere impoſſibilia, nec ſi præceptum illud etiam ad petulantiam carnis porrigitur, eſſe præceptum in lege CHRISTI, ità vt carne ſuam petulantiam exercente, homo præuaricator legis cenſeatur, qui tamen carni quantum valet ſpiritu reſiſtat.

Inſtant. In baptiſmo hominem non perfectè renouari, neq; totum, ideſt, ſecundum mentem, et ſecundum carnem. Nam, inquiunt, adoptatur homo ſecundum ſpiritum, non ſecundum carnem. Vnde iubet Apoſtolus reformari nos ac renouari de die in diem. Reſpondeo: Verum eſt quòd hæc renouatio, quæ fit in Chriſto, non eſt continuò perfecta: non quòd non totus homo innouetur & adoptetur, & fiat noua

creatura in Chriſto ſecũdum mentem,& ſecundum carnem,cum ipſe to-
tum hominem ſe ſanaſſe aſſeruerit;ſed quia nõ totaliter (vt ita dixerim)
& ad perfectum. Sed non propterea fit conſequens, eſſe peccatum cõ-
cupiſcentiam iſtam; ſed ſolùm non eſſe hominem perfectum, ſed adia-
cere ei aliquid mali,& potiſſimum in parte carnis. Vnde iubetur ei, vt
ad perfectum feratur. Sicut autem à puero & adoleſcente non exigi-
tur vt ſit vir, nec id illi imputatur ſi non eſt vir,ſed hoc tantum, ſi non
curet effici vir: Ita homo nouus in iuſtitia iam rectus eſt,& ſine peccato,
ſed non perfectus in iuſtitia, cui dicitur: Qui iuſtus eſt, iuſtificetur ad- »
huc: & qui ſanctus eſt,ſanctificetur adhuc. Quòd ſi negligat; tunc ſine »
peccato non erit. Etenim donum noſtræ charitatis & gratiæ,eſt (vt ait
D. Auguſtinus) quædam inchoata iuſtitia, quæ deſiderat perfici de die
in diem,& de virtute in virtutem,ſicut recens planta,quæ ab agricola co
litur,& purgatur, in qua tamen nihil eſt vitii quod ſit culpabile, ſed ſo-
lum naturæ quædam imperfectio non ſatis valens ad bonos fructus pa-
riendos,niſi à cultore purgetur aſſiduè:vnde illud quod purgatur & tol
litur,dici poteſt non placere Deo,non quia ſit peccatum, ſed quia malũ
& noxium:& ideo tolli vult,ne noceat fructibus,non ꝙ verè habeat pror
ſus peccati rationẽ,vt peccatum dicit imputabilitatem. Non enim im-
putabile eſt habere illud, quod ineſt nobis natura & à Deo,ſicut in rena
tis ineſt: ſed imputabile eſt ſi ab eo diligenter non ſeruemus nos, ne per
illud vitietur voluntas,& peccet. Quare mortificanda ſunt membra no
ſtra,quæ ſunt ſuper terram: quod ſanè fit abſq; vitio & culpa vtriuſq;
ideſt,eius qui mortificat,quoniam benefacit; & eius quod mortificatur,
ideſt,carnis. Sic enim mortificatur non ꝙ peccauerit,aut peccatum ſit;
ſed ne ad peccatum trahat. Vnde & dicitur caſtigari quia diligitur.
Sic & Deus caſtigat nos filios,non quia odio habeat, ſed quia diligit &
recipit,& proficere vult:& inſtrumẽta quibus nos caſtigat,non ſunt ma-
la,ſed bona,quatenus hoc opus faciunt.

Non nego tamen,ꝙ propter carentiam illius originalis iuſtitiæ vn-
de relicta eſt nobis iſta caro,quæ aggrauat animã, & propter multa alia
incommoda & indigentias vitę huius, ſumus in ſtatu minus perfecto: &
quantum pertinet ad difficultatem agonis & militiæ, in ſtatu magis ar-
duo & magis periculoſo,quàm fuiſſet ille primęuus,ſi ſteriſſet Adam pa-
ter noſter. Vnde dictum eſt: Regnum cœlorum vim patitur, & violen »
ti rapiunt illud. Attamen quantum ad gratiam Dei,& dilectionem ſuá, »
& gloriam,quam ſperamus per ipſum IESVM, ſi ſuperemus in certa-
mine;non puto eſſe nos in ſtatu deteriore, ſed potius in tanto meliore,
quanto difficiliore. Vnde Dominus: Ego veni vt vitam habeãt,& abũ- »
dantius habeant. Porrò dicere nos eſſe filios adoptiuos ſecundum ſpi »
ritum,non ſecundum carnem; ridiculum eſt. Adoptio enim eſt totius
ſuppoſiti. Neq; enim ſpiritus adoptatur, neq; caro,ſed totus homo, &
quælibet pars à Deo diligitur,quatenus ſuæ dilectionis quælibet capax
eſt. Nec item inficior id quod dixit Dominus: Filii huius ſæculi nubũt

& tradunt ad nuptias, etiam ad renatos attinere, vt iidem ſint filii Dei, & filii huius ſæculi. Hoc autem intelligitur reſpectu futuræ adoptionis in regeneratione perfecta, quando redemptionē obtinebimus corporis noſtri, & erimus ſicut angeli Dei. Itaq; comparatione illius generationis futurę perfectę in alio ſęculo, quę erit etiam ſecundū carnē, nūc poſſumus dici filii huius ſæculi, & præſertim in opere carnalis generationis, vt ibi Dominus eleganter declarat his verbis. Illi verò qui habebun
» tur digni ſæculo illo, & reſurrectione ex mortuis, neq; nubent, neq; du
» cent vxores, neq; vltra mori poterunt: æquales enim angelis ſunt, & filii
» Dei ſunt, cum ſint filii reſurrectionis. Hæc ipſe Dominus: Vt planè vi
» deas, quòd comparatione illius adoptionis futuræ, hæc ſpiritualis generatio non reputetur, quaſi non cenſeantur filii Dei, eò quòd nondum ſunt filii reſurrectionis. Quinimò reſpectu huius imperfectionis, filii ſæculi vocari poſſunt ii, qui ſunt in CHRISTO in hac vita, & rectè: nō tamen filii tenebrarum, neq; filii Adam peccatoris. Nam & ipſemet Dominus qui erat filius Dei, propter illam tamen carnem infirmam, dici aliquo modo potuit pro illo tempore minoratus à Deo, & ſic poſtmodo

Apoc. (vt ait Dilectus) accepiſſe diuinitatem.

Quòd ſi quis horum dictorum idoneum aliquem velit teſtem, Ecce B. Auguſtinus ſic ait: Attende quod dico: Gratia perfectè hominem nouum facit, quandoquidem & ad corporis immortalitatem, plenamq; fœlicitatem ipſa perducit. Nunc etiam perfectè innouat hominē, quantum attinet ad liberationem ab omnibus peccatis, non q̄tum attinet ad liberationē ab omnibus malis, & ab omni corruptione mortalitatis, qua nūc corpus aggrauat animam. Hęc ille. Vbi cū legis; Nunc etiam perfectè innouat hominem; ſanè intellige, vt perfecta hæc innouatio capiatur maxime reſpectu peccatorum, vt iam nulla ſint; non reſpectu ipſius iuſtitiæ, in qua creſcere iubemur aſſiduè. Vnde Apoſtolus: Renouamini de die in diem.

Poſtremò, falſum eſt, atq; errorem continet non ferendum quod aiunt, Non ſolum in carne, hoc eſt, in ſenſualitate eorū qui renati ſunt, ineſſe petulantiam, & contumaciam contra ſpiritum, verū etiam in parte animæ ſuperiore, ideſt, in mente: quia ſcripturæ de toto homine ſæpè loquētes, vocant illum carnem. Imo in ſcripturis renatus in CHRISTO non dicitur caro, vt caro in malam partem ſumitur, dicente ip
» ſo Domino: Qui natus eſt ex carne, caro eſt; Et qui natus eſt ex ſpiritu,
» ſpiritus eſt. Spiritus autem non eſt caro. Nec idem homo poteſt ſimul dici & carnalis & ſpiritualis ſecundum idem. Spiritualis autem dicitur, qui renatus eſt ſecundnm mentem, non ſecundum carnem. Vnde
» Apoſtolus ait: Mente ſeruio legi Dei. Et: Condelector legi Dei ſecun
» dum interiorem hominem. Quia ſecundum hanc partem verè dicimur abluti, ſanctificati, iuſtificati. Et ſubiecit: Carne autem ſeruio legi peccati. Indicans rei naturam, & ſtatum in quo inuenimur in CHRISTO IESV ſicut diximus: non quòd ita eſſet de facto: quod erat impoſſi

bile,

bile, quia neceſſe eſt vnum horum, hoc eſt, aut peccato, aut iuſtitiæ, hominem obedire & ſeruire. Vnde pulchrè ſubdit: Nihil ergo damnationis eſt iis, q non ſecundũ carnẽ ambulant, ſed ſecundũ ſpiritum, hoc eſt, iis qui imperio voluntatis eligunt quæ Deo placent, ſicut dictat lex ſpiritus ipſi menti, exemplo Beati Iob, qui abſtinebat ab omni re mala, reprobando conſequenter quę placent carni petulanti, & aduerſanti iis, quæ Deo grata ſunt.

Quo circa falluntur & qui concupiſcentiam carnis, quæ in renatis remanet, & Apoſtolus peccatum vocat, nolunt circa eam animæ partem intelligi, qua cum beſtiis communicamus, in qua ineſt ſenſitiuus appetitus concupiſcibilis & iraſcibilis, qui appetitus eſt ſolummodo terrenorum, cui ſi irrationabiliter voluntas obtemperet, peccatum gignit, & parturit. Nam de hoc appetitu manifeſtè Apoſtolus perpetuo loquitur, iuxta omnium interpretationem, & ipſemet etiam ibi declarat, vbi ait: Caro concupiſcit aduerſus ſpiritum, ſpiritus aduerſus carnem. An nõ (quæſo) de hoc appetitu verificatur, ꝙ pugnat aduerſus mentem, & rationem? At hoc omnes theologi docent, & omnes philoſophi viderũt, ipſe præſertim Ariſtoteles, vt declarat in ſuis ethicis. Id quod nos quoque in nobis quotidie experimur. Si ergo hic carnis appetitus pugnat cum mente & cum lege Dei indita menti; nunquid fortè eſt alia caro in homine, aut alius appetitus præter iſtum, qui pariter cum mẽte pugnet? Erunt ergo duo appetitus carnis pugnantes cum mente & ſpiritu. At B. Paulus vnum ſolummodo nos docet, & clarè mentẽ carni opponit, ideſt, inferiori ſuperiorem partem. Vnde & legem carnis aduerſantem legi Dei, inſitam eſſe in membris noſtris, ideſt, in organis, quæ ſunt in carne, declarat. Et propter hoc cum dixiſſet: Scio ꝙ non habitat in me bonum; ne erraremus adiecit: Hoc eſt, in carne mea. Quid igitur oportet plurificare in nobis mala, & exinanire redemptionem & iuſtificationem noſtram? Tanquam nobis hoc vnum malum, quod eſt in carne, non ſit plus ſatis.

Verum aiunt: Quomodo poteſt caro concupiſcere, natura non ſentiens? Reſpondeo, nos de carne ſentiente loqui, non de carne mortua. Nec eſt verum, ꝙ mens concupiſcat ſemper, ſi caro concupiſcit. Alioqui quomodo diceret Apoſtolus: Mente ſeruio legi Dei, carne autẽ legi peccati? Et: Nunc autem iam non operor illud, ſed quod habitat in me peccatum. Et hæc arbitror ſatis eſſe ad eorum ſatisfactionem, qui circa propoſitum articulum hæſitare potuiſſent. Gratias Deo.

DIALOGVS DE IVSTIFICATIONE R. P. F. *Ambroſii Catharini Politi* Epiſcopi Minorienſis Ad pium lectorem.

CVM TRIDENTI IN SYNODO DE RAtione iuſtificationis propter hæreticos tractaretur, ſcripſi mihi ea de re Dialogum, vbi quid inter nos & illos interſit declarans; & noſtra mihi viſus ſum confirmaſſe, & illa ipſorũ pſpicuis rationibus redarguiſſe. Eum igitur Dialogum placuit in gratiam pii lectoris ſuperioribus lucubrationibus annectere. Proponet ergo primum catholicus ſummatim quæ noſtra ſunt. Inde incipiet cum hæretico diſceptatio.

CATHOLICVS. Eſt iuſtificatio impii & iniuſti; & eſt iuſtificatio iam effecti pii & iuſti. Prior, qua ex impio & iniuſto fit aliquis iuſtus, impoſſibile eſt vt veniat ex operibus: quoniam opera eſſe bona coràm Deo non poſſunt, quæ ſunt inimici adhuc & praui hominis, qualis eſt impius atq; iniuſtus. Hæc igitur iuſtificatio venit à Deo gratis, ex fide tamen: quia Deus fidem impii requirit & acceptat, vt habeatur quaſi diſpoſitus ac dignus dono iuſtitiæ, quod ab illo infunditur, quo verè & formaliter coràm Deo iuſtus efficitur. Dixerũt nonnulli ex patribus, etiam B. Thomas, ſolam fidem iuſtificare: proculdubio intelligentes de hac prima iuſtificatione qua ex impio atq; iniuſto fit quis iuſtus & pius: quam à ſola fide proficiſci dixerunt, vt per illud SOLA, excluderent merita operum, quæ merita ante iuſtificationem fingi non poſſunt: nõ autem vt excluderent pœnitentiam & baptiſmum, & quæcunq; præparatoria ſunt ad accipiendam iuſtitiam. Nam hęc omnia conſequuntur

» fidem ſi ſincera fuerit, id eſt, abſq; dolo. Vnde Dauid, Beatus vir cui nõ

» imputauit Dominus peccatum, nec eſt in ſpiritu eius dolus. Hic eſt qui per fidem gratis iuſtificatur. Hactenus de prima iuſtificatione, quæ eſt impii & nunq̃ iuſtificati, de qua manifeſtè loquitur Apoſtolus quotiens ab hoc effectu opera excludit.

Iuſtificatio prima.

Eſt verò alia iuſtificatio ſecũdum ſcripturas non iam impii & iniuſti, ſed eius qui iam iuſtus effectus eſt & pius. Hęc iuſtificatio non à ſola fide, ſed ab operibus bonis proficiſcitur, per quæ augetur iam adepta iuſtitia ac perficitur, & comparantur merita ad ęternam vitam. Quòd.n. non ſola fides, ſed & opera ex fide facta per charitatem exigantur, vt ſic etiam operibus iuſtificetur homo coram Deo ad acquiſitionem amicitiæ Dei perfectam, vt mereatur coronam; perſpicuè ac diſertè Frater Do-

» mini teſtificatur in exemplo Abraæ, ſic aiens: O homo inanis. Nota q̃ pulchrè, ac ſi hos videret, qui ſurrexerunt nunc detrahere bonis operibus merita ſua, & ſoli fidere fidei. O vere homo inanis: quaſi diceret:

Iuſtificatio ſecunda.

Qualis eſt fides,quam tu prædicas; talis es tu homo qui illam prædicas, nimirum inanis tu & illa. Vis ergo ſcire quòd fides ſine operibus otioſa eſt & mortua? Audi modum loquendi. Vis ſcire,inquit, ac ſi manifeſtius dixerit: Erunt qui hoc ſcire recuſabunt, ſicut aſpides ſurdæ, & obturantes aures ſuas. Eos igitur alloquitur,qui doceri volunt, vt eos doceat, quòd fides ſine operibus mortua eſt. Quid eſt, mortua eſt? Nunquid prorſus non eſt? Imò eſt quidem, ſed non habet ſpiritum,nõ habet vitam. Non quidem ſicut homo mortuus, qui iam non eſt homo,ſed ſicut corpus mortuum, quod & ſi vitam non habeat; corpus eſt tamen,ſed nõ peraget opera viuentis. Quare ſuperius dixit; otioſam. Quod autem otioſum eſt, eſt quidem,ſed fruſtrà. Vis igitur,inquit Frater Domini, videre quòd fides abſq; operibus fruſtra iuſtificaret impiũ? »
Ecce cape exemplum Abrae,quod mihi ex Paulo obiicis. Nonne Abraam,qui eſt perfectum iuſtificationis exemplum, ex operibus iuſtificatus eſt offerens Iſaac filium ſuum ſuper altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & ex operibus fides conſumata eſt, & impleta eſt ſcriptura dicens: Credidit Abraam Deo,& reputatum eſt ei ad iuſtitiam,& amicus Dei appellatus eſt. Videtis quòd ex operibus iuſtificatur homo, & non ex fide tantum? hæc Frater Domini, proculdubiò declarans B. Paulum,qui ait Abraam iuſtificatum non ex operibus, ſed ex fide,vt intelligamus eum de prima iuſtificatione, qua ex iniuſto fit quis iuſtus,eſſe locutum. Ipſe autem Frater Domini,qui per opera iuſtificatum fuiſſe Abraam teſtatur,manifeſtè de ea iuſtificatione loquitur, qua ex iuſto fit etiam homo magis iuſtus, & perficit iuſtificationem ad meritum vitæ æternæ,iuxta ſcripturæ præceptum: Qui iuſtus eſt,iuſtificetur adhuc. (Apoc.) Iam.n.iuſtificatus erat Abraam cùm filium obtulit: ſicut teſtatur ſcriptura. Ex quo tamen facto à Fratre Domini dicitur iuſtificatus, tanquam ex opere patrato ex fide,& non ab ipſa fide tantum. Itaq; prior iuſtificatio ex fide abſq; operibus,illud operatur vt quis miles CHRISTI fiat,& poſſit legitime certare, aut currere in ſtadio ac promereri vitam æternam bene certans. Secunda vero,quæ eſt etiam ex operibus, illud operatur vt iam miles factus,certãdo robuſtior fiat ac perficiat agonem & curſum,& ſic promeritus coronam,queat cum Paulo dicere, Bonum certamen certaui,curſum conſumaui,fidem ſeruaui: in reliquo repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ &c. Hæc habui quæ primum tibi O ſapiens, de iuſtificatione proponerem. Tu verò dic ingenuè obſecro,quid ſentis?

HÆRETICVS. Primum malo audire ego Paulũ,& ſenſum eius à ſpiritu accipere,quàm ab hominibus. Certa eſt Apoſtoli ſentẽtia: Ex operibus non iuſtificatur omnis caro coram illo. Ea verò,quæ dicitur Fratris Domini epiſtola,incerta eſt cuiuſnam ſit,& nõ redolet apoſtolicam ſapientiam: & tamen euitari poteſt ſi rectè intelligatur.

CATH. Scio quòd ſtramineam vocat illam epiſtolam Lutherus,quam tamen omnes catholici & ſacroſancta concilia iam olim canonizarunt. Et ſcio quonã pacto vos illum locũ interpretemini, nimirũ vt vel nihil

dicatis,vel id tandem quod nosipſi.

HÆRET. Si opera exiguntur ad ſalutem, quæ opera fecit Latro,cui ſolùm credenti dictum eſt: Hodie mecum eris in Paradiſo? Quę opera faciunt pueri, qui tamen ſalui fiunt? Quæ deniq; opera, ſi quis adultus fide iuſtificatus in momento obiret?

CATH. Latro in cruce,qui prius deſperabat,fide iuſtificatus confeſſus eſt Chriſtum,& libenter paſſus eſt propter illum: hoc tibi parũ videtur? Quod reliquum erat,ſatis illi fuit habuiſſe in voto perficere vniuerſam legem. Satis eſt enim coram Deo Patre clementiſſimo reddere in voto,quod reddi non poteſt in facto. Pro pueris autem qui ex ſe nihil poſſunt niſi pati,ſupplet votum operum CHRISTVS & eccleſia, ſicut & fidem; vnde & illi non ſine operibus aliquo modo perficiuntur. Quia cum ſint innocentes & membra Chriſti,indignè paterentur,niſi cõformarentur Chriſto ad gloriam obtinendam. Vnde & ipſi, præſtantę illis Eccleſia votum ſuum,nonnullo modo mereri dici poſſunt ex paſſionibus ſuis,quas gerunt abſq; peccato.

Sed nunc cõuenio te vir docte & imbute ſpiritu. Quando ais, ſola fide iuſtificari hominem etiam ad lucrum vitæ æternæ, quid per illud SOLA intẽdis excludere? Vtrum ſacramentũ,vtrum ſpem,vtrum charitatem,vtrum opera? Si hæc omnia,aut quoduis horum, nonne vides ꝙ impingis, & committis in ſcripturas? De ſacramento enim dicitur: » Niſi quis renatus fuerit ex aqua,& Spiritu ſancto,nõ intrabit in regnum » cœlorum. Et: Niſi manducaueritis carnem Filii hominis, & biberitis » eius ſanguinem,non habebitis vitam in vobis. De ſpe autem dicitur,ꝙ » illa incedit vſq; ad interiora velaminis. Et de charitate: Qui non dili» git manet in morte. Nam per charitatem ſumus filii Dei, & conſequenter creditores hereditatis. Et de operibus bonis Dominus ait: Niſi abũ» dauerit iuſtitia veſtra plusq̃ Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Tandem tota ſcriptura euidentiſſime, teſte B. Auguſtino,probat,ꝙ bonis operibus redditur vita æterna.

De lib.arb.& grã.cap.8.

HÆRET. Imò aduerſus opera ſcriptura vniuerſa & apoſtolica » doctrina contendit. Ex lege.n.non eſt iuſtitia,ait Paulus. Lex.n.iram » operatur. Ex operibus legis non iuſtificabitur omnis caro coram illo. » Et qui ſub lege eſt,ſub maledicto eſt. Si ex lege hereditas,exinanita eſt fi» des,abolita eſt promiſſio. Si per legem iuſtitia,Chriſtus gratis mortuus » eſt. Lex autem pedagogus eſt ad Chriſtum. Ergo iuſtitia ex fide, non ex lege,vel ex operibus legis.

CATH. Vt fœcundus es,& plenus ſcripturarum. Sed vtinam non potius gloriam tuam diligeres,quàm veritatem: profectò diligeres verbum abbreuiatum, quod fecit Dominus ſuper terram. Sed ad rem. Si intelligeres quid per legem apud B. Paulum ſignificatur; finem quidem faceres quæſtioni,& herbam porrigeres. Duę.n.ſunt leges in ſcripturis, non vna tantum, vt putatis. Eſt vna per Moſen lata, ſcripta in lapidibus: & hæc lex Moſeos, vel lex ſimpliciter appellatur in Euangelio, &

apud B.Paulũ. De hac dicitur ꝙ non venit ex fide,& quòd non eſt poſi-ta iuſto,ſed iniuſto & contumaci,quales ſumus natura omnes anteq̃ re-paremur per gratiam. Eſt verò alia lex Chriſti,quæ dicitur lex fidei,lex Rom. gratiæ, lex charitatis, lex ſpiritus vitæ,lex perfectæ libertatis. Et hæc Iac. lex,eſt ex fide,& eſt poſita iam iuſto,vt perficiat mandatum Chriſti,quod eſt mandatum charitatis: quoniam accepto dono charitatis, perfici po-teſt per abundantiam bonorum operum, ſicut perfecta eſt arbor,quum parit fructus. De illa igitur lege per Moſen lata,quæ ſcripta erat in ta-bulis lapideis,& non in corde hominis,vera ſunt ea omnia,quæ ſuperius ex Apoſtolo protuliſti: quoniam per illam non poteſt excuti, aut edu ci iuſtitia è corde hominis,ideſt,illa qualitas,per quam homo fit verè iu ſtus corã Deo: ſicut nullo conatu de tribulis exprimes ficus, neq; de ſpi-nis vuas. Nam lex ipſa quidem ſpiritualis eſt & bona & ſancta: quoniam quæ ſpiritualia ſunt & iuſta præcipit, & oppoſita prohibet. Quia ta-men applicatur carni, ideſt, homini carnalia diligenti; ipſa lex infirma-tur per carnem,hoc eſt,non poteſt hominem, cum ſit caro & afficiatur carnalibus,immutare vt diligat,& efficiat illa ſpiritualia,quæ ipſa lex in-tendit. Legis enim intẽtio eſt,vt homo operando faciat iuſta,& ſic per-ficiatur in iuſtitia. Homo autem qui apprehendit legem,natura tamen affectus iis,quę mandato legis opponuntur,non paret legi: imò potius odit legem & legis autorem Deum, qui ea ſibi præcipiat facienda, quæ ipſe prauæ naturæ affectus odit. Et hoc pacto vides quomodo ex lege non poteſt venire iuſtitia noſtra.

Nunc conſequenter accipe quomodo lex iram operatur,in eodem tamen homine,qui eſt in carne,ideſt,qui nondum habet legẽ digito Dei in corde ſcriptam ex dono eius. Lex.n.quæ dixit homini: Non concu-piſces, oſtendit quòd etiam interius concupiſcere,malum eſt: Sed non efficit vt homo carni natura affectus nõ cõcupiſcat: Imò magis illũ ad concupiſcendum extimulat atq; excitat: quia naturæ prauitate inſitum eſt hoc homini,vt vehemẽter ea expetat,quæ fuerint prohibita: quẽad-modum quidam expertò probauit, & ſcriptum eleganter reliquit. Ni-timur,inquit,in vetitum ſemper, cupimuſq; negata. Cum ergo homo viuus & prudens concupiſcit contra legem ſibi dicentem: Non concu-piſces; tantò magis pręuaricator exiſtit,quantò magis prudenter,& ſci-ens peccatum,peccat. Ecce ergo quomodo lex iram operatur in ho-mine & in carne.

Vis modo inſuper videre quomodo ex operibus legis non iuſtifica bitur omnis caro coram illo? Audi. Homo qui eſt in carne, hoc eſt, qui carnis eſt affectus vitiis, & eius opera lubens exequitur (nam hic eſt eius naturæ ſtatus) ob voluntatis prauitatem non poterit facere opera legis,quæ ſunt ſpiritualia, ſicut oporteret ad ueram & perfectam iuſti-ficationem: quia non poteſt qui talis eſt, operari iuſtè & ex charitate, ſicut exigit vera coram Deo iuſtificatio. Quicquid ergo aget vir-tute legis, quod in ſpeciem & ex officio videri poteſt bonum; aget

aut timore propter minas legis,aut ad prȩmia temporalia,quæ decerne bat illa lex : nec tñ ſeruabit vnq̃ totam legem : quia nunq̃ ſic ſe compo net vt non cõcupiſcat,ſaltẽ interius in corde. Qui aũt totam legem non ſeruauerit,reus omniũ & ſub legis maledicto cõſtituitur. Ecce quomodo ex operibus legis,& ſi quis forte iuſtificetur corã hominibus, qui vident quæ parent bona in ſpeciem,coram Deo tamen non iuſtificabitur om nis caro,ideſt,nulla caro,nempe,nullus homo qui ſpiritum non recepit. Hoc eſt.n.caro,dicente Domino : Qui natus eſt ex carne,caro eſt : quo niam Deus videt interiora cordis ; & ibi in homine qui caro eſt, non re ſpicit ſpiritum,cum non ſit ibi , vnde procedunt verè ſpiritualia opera, & verè bona & iuſta & ſancta,quæ meritò ipſi Deo placent . Et hinc ap paret,quòd ſi ex lege eſſet hereditas vitæ ȩternæ,hoc eſt,ſi homo poſſet ex viribus naturalibus legẽ implere;exinanita eſſet fides, & abolita pro miſſio . Eſſet enim fides primum exinanita : quia non eſſet opus crede re in CHRISTVM, ſed ſatis eſſet intendere ad implenda mandata illius legis,quæ non continent aliquid in litera de CHRISTO. At hoc Apoſtolus,vt vehementer abſurdum,relinquit explodendum,videli cet,ꝙ exinaniatur fides : quoniam Abraȩ fides reputata eſt ad iuſtitiam. Nam & ex hoc ſequeretur quòd etiam abolita eſſet promiſſio,videlicet, quæ facta eſt Abraȩ,cui promiſſum fuit,quòd in ſemine eius,qui eſt Chri ſtus,benedicẽdæ eſſent omnes Gentes,hoc eſt,liberandȩ à peccato & in iuſtitià,in qua omnes naſcimur,& creſcimus ex nobis omnes . Lex igi tur Moſeos tolleret hanc promiſſionem , & hoc Dei teſtamentum, ſi ex lege eſſet hereditas : quod item eſt abſurdum, ſicut eleganter declarat Apoſtolus ad Galatas : quoniam nemo patrisfam. teſtamẽtum ſpernit, quod maxime iureiurando ſit vallatum . Ecce igitur quomodo ſi ex le ge veniret hereditas, fides euacuaretur, & promiſſio ac teſtamentum in Abraam cõſtitutum,& iuramento confirmatum aboleretur, in qua erat liberatio à dominatione peccati per Chriſtum : quȩ ſunt abſurdiſſima.

Et hinc illud etiam patet verum , ꝙ ſi ex lege eſſet iuſtitia , Chriſtus gratis,ideſt,ſuperfluò,eſſet mortuus . Supponit enim Apoſtolus ſemper (vt dixi) quòd lex non poterat creare in homine iuſtitiam : quia per iu ſtitiam homo mundificatur corde,& ſic poteſt operari munda opera & viua . At ſolus Deus eſt qui poteſt facere mundum de immundo conce ptum ſemine:& nulla lex exterior ſcripta in tabulis hoc poteſt . Solius Creatoris hoc opus eſt,qui creaturas, vt vult immutat , & viuificat mor tuos. Hoc autem vt fieret in nobis, obtinuit Chriſtus. Et ideò ipſe dixit,quòd oportet nos naſci denuò . Quod Nicodemus demirabatur: & Dominus increpat eum,quòd quæ terrena illi dixerat, non capiebat, cum tamen ille eſſet magiſter in Iſrael . Hoc verò erat terrenum , ideſt, quod capi & credi etiam à terrenis debeat,videlicet, Quod natum eſt ex carne,caro eſt . Et ꝙ mala arbor,qui eſt homo in ſuis naturalibus à ve teri peccato corruptus,non poteſt facere bonos fructus,niſi magiſterio agricolæ fiat arbor bona,cum hoc ipſum experientia comprobetur. Vi

de igitur argumentum bonum & validum. Si ex lege iuſtitia; Chriſtus ſuperfluò mortuus eſt. Patet: quia non quærebatur aliud, niſi vt extincto peccato adduceretur iuſtitia ſempiterna. Lex autem peccatum extinguere non potuit, quo detinebamur ſerui & ſubiecti, ac per hoc nec valebat adducere iuſtitiam. Quòd ſi hoc negatur, & dicitur quòd lex hęc ambo poterat; tunc bene ſequitur: Ergo Chriſtus gratis mortuus eſt; quia ſatis erat nobis lex ad hos effectus, qui ſoli deſyderabantur, ſi ex illa poſſent procedere.

Dices. Quid ergo faciebat lex? Erat & ipſa ſuperflua? Abſit. Sed erat pedagogus ad Chriſtum, & ad recipiēdum illum fide, vt hinc omnia conſequerentur, quæ exigebantur ad efficiendam ac perficiendam iuſtificationem. Nam per fidem in Chriſtum obtinetur iuſtitia, qua purificātur corda: Per iuſtitiā verò ſanatur ac roboratur voluntas, vt ſic homo renatus in Chriſto, poſſit perficere legem, & opera bona facere, tanquā palmes in bona vite exiſtens, quæ ſuaues & bonas vuas producit agricolæ ſuo. Et vide, quæſo, quomodo lex facta eſt pedagogus ad Chriſtum: & quomodo veniat iuſtitia ex fide. Hic eſt enim diuinus ordo, quē qui euertere nititur, ipſe ſe peruertit. Primò ex lege proceditur ad agnitionem veteris peccati, quo detinemur: quia lege dicente: Non concupiſces, homo attendens, experientiaq; cognoſcens ſe hoc ſeruare minime poſſe, ne, ſcilicet, concupiſcat; confeſtim philoſophari cogitur, & dicere: Aut vitium eſt in lege, quæ imperat quod implere non valeo: aut in me ipſo, quo prohibeor ea facere, quæ lex imperat. Si ergo vitium ſit in lege; lex ergo mala, & conſequenter legis autor malus. Quis autem hoc dixerit citra blaſphemiam? Igitur ſi in lege, quę bona eſt, & ſancta, & ſpiritualis, non eſt vitium vllum, illud ergo eſt in homine, qui talis inuenitur, vt legem implere non poſſit, non valens non concupiſcere. Hoc autem vitium cum omnium appareat eſſe commune (quoniam nemo poteſt non concupiſcere) naturæ oportet eſſe vitium. Si vitium naturę; vnde illud venit? Nunquid fortè ab Autore naturæ? Abſit. Vidit enim Deus cuncta quæ fecerat, & erant valdè bona. Dei nāq; opera perfecta ſunt. Ergo hoc vitium à peccato eſt, & ab homine peccatore. Si autem de ſingulis Adæ filiis conſideremus, omnes cum hoc vitio naſcuntur. Quomodo ergo peccarunt illi, vt hoc vitium ex vtero materno contraherent, niſi quia peccauit ille primus noſter parens, & nos in illo? Ecce igitur quomodo ex lege venit cognitio morbi, & infirmitatis naturæ. Ex iſta cognitione venit antiqui peccati cognitio & malitię eius. Ex hac quoq; cognitione procedit homo ad amorē ac deſiderium. Videns.n. & ſentiens ſe ęgrotum, cum ſe diligat, incipit odiſſe morbum, & velle ſanari. Porrò ab hoc ſanitatis comparandæ appetitu, venitur ad inquiſitionem medelæ, vnde ſanitas recuperari poteſt. Ab hac autem inquiſitione medelæ, venit eius inuentio: quia lex ipſam, nimirum Chriſtum, oſtendit, qui eſt medicus & medela. Ipſe enim morte ſua acerbiſſima fuit extinctor peccati, & allator iuſtitiæ reſurrectione ſua. Ipſe igitur

eſt redemptio noſtra,iuſtitia noſtra,ſanctificatio noſtra. Ab iſta itaq; me delæ inuentione venitur ad eius applicationem,ſine qua nihil illa prodeſſet. Hæc autem applicatio fit per donum iuſtitiæ infuſum in corde. Et hæc infuſio obtinetur per fidem. Ergo lex pedagogus ad Redemptorem, quæ ducit vſq; ad fidem, ex qua venit in nos iuſtitia donata à Deo,& ſic iuſtificamur,& purificamur corde ex fide: quia Dominus credentem iuſtificat. Ex iuſtitia autem proceditur ad bona opera; quia iam iuſtus operari poteſt iuſta iuſtè,vt placeat Deo. Ex bonis verò operibus fit ſaltus ad vitam æternam. Et hic eſt ordo diuinus. Noli igitur mihi vlterius obſtrepere, & moleſtus eſſe. Hæc eſt doctrina B.Pauli de lege & fide,ſeu de lege & euangelio, aut ſi appoſitius vis dicam, de fide & operibus,aut de iuſtificatione impii & pii. Quoniam impius ex fide iuſtificatur ad pietatem: Pius autem ex operibus iuſtificatur ad coronã & gloriam. Hanc doctrinã ſi quis velit, ſemota animi praua affectione, aſpicere; eam proculdubio amplexabitur: quia diſiectis tenebris apparet in ea lux veritatis; vt concludamus, non poſſe ex lege venire iuſtitiam (legẽ Moſeos dico) ſicut Iudæi & Pelagiani arbitrabantur, ſed ex fide. Nec ex fide ſola venire ſalutem,& vitam æternam, ſicut Lutherani affirmant,ſed ex operibus ex fide factis per charitatem, vt omnis Chriſtianorum ſchola docet,& didicit à ſcripturis ſanctis,vt concludatur: Si quis in Chriſtum non crederet,non iuſtificaretur. Si quis iuſtificatus nõ operaretur,iuſtitiam iam adeptam amitteret, & ad ſalutem non perueniret.

HÆRET. Multa dixiſti,ſed ex quibus tandem videris legem viuificare,& Chriſtum facere legislatorem: quod eſt miniſterium vile & abiectum,& ſerui,non domini.

CATH. Cognoſco ſpiritum,& verba Lutheri. Sed non ita nos docet
» Apoſtolus, imò nec Chriſtus ipſe,qui dixit: Nolite putare quoniam ve
» ni ſoluere legem. Non veni ſoluere,ſed adimplere. Et apoſtolus. Legẽ
» ergo (inquit) deſtruimus per fidem? Abſit. Sed legem ſtatuimus. Et quomodo audet audaciſſimus mortalium negare Chriſtũ legislatorem? Nam ſi verum eſſet,neceſſe etiam eſſet ipſum Apoſtolũ mentiri,qui cum
1.Cor.9. inficiatus eſſet ſe ſub lege eſſe,nõ tamen ſine lege aſſeuerat ſe eſſe, ſed in lege Chriſti. Et Frater Domini nonne ait: Vnus eſt legislator & iudex, qui poteſt perdere & liberare,nimirum Chriſtus,de quo & Dauid: Con
» ſtitue, Domine, legislatorem ſuper eos. Et Iſaias: Dominus iudex no
» ſter: Dominus legifer noſter: Dominus rex noſter,ipſe ſaluabit nos. Et
» alius: Dabo legem meam in viſceribus eorum. Hæc de Chriſto dicuntur. Et nunc hæreticus tanta fronte audet pernegare Dominum Ieſum legislatorem, & vile ait eſſe miniſteriũ,quod eſt proprium Dei & regis. O inimice iuſtitiæ & bonorum operum.

HÆRET. Non poſſum aſcribere operibus noſtris q̃tumuis bonis, ſalutem: quia ſi ita eſſet, haberet vnde gloriaretur homo. At Paulus quemq̃ gloriari vetat.

Catholicus.

CATH. Si operibus bonis non eſt aſcribenda ſalus, cur ait Apoſtolus ꝙ IESVS factus eſt cauſſa ſalutis obtemperantibus ſibi? Cur Frater Domini ait: Qui perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, nō auditor obliuioſus factus, ſed factor operis; hic beatus in ſuo facto erit. Audis, hæretice, ꝙ iſte talis beatus in ſuo facto erit? In ſuo facto, inquit, & non ſolum in fide ſua. Cur item dixit Apoſtolus: Non auditores legis iuſti ſunt apud Deum, ſed factores legis iuſtificabuntur? Porrò falſum eſt prohibere B. Paulum ne gloriemur. Ipſe enim tãtum prohibet nos gloriari in nobiſipſis. Vnde ait: Qui gloriatur, in Domino glorietur; ideſt, in Chriſto, per quem accepit vnde valeat gloriari

HÆRET. Si habeo iuſtitiam Chriſti, recuſo meam. Illa enim mihi ſatis eſt: nam omnes iuſtitias meas reputo tanq̃ pannum menſtruatę. Vnde & Paulus in Chriſti iuſtitia confidebat; non in ſua, aiens: Non habens meam iuſtitiam, ſed eam quæ eſt ex fide.

CATH. Vtinam citares illum Apoſtoli locũ fideliter, & ſanè eiuſdem mentem intelligeres. Ipſe enim Apoſtolus ſpernit illam iuſtitiam quæ venit ex lege ſine fide, quę humanis viribus comparatur, & eſt opus legis ſcriptæ in lapidibus, quam obſeruat homo (ſi modo obſeruat) timore pœnarum, vel affectu carnalis gloriæ, non ex charitate Dei. Vnde falſa eſt iuſtitia: & ideo dixit: Non habens meam iuſtitiam quæ ex lege eſt. Hoc quod ait; Quę ex lege eſt; vos interdum citantes eum locum, omittitis: quia detegit fallaciam. Sed eam, inquit, quæ ex fide eſt Chriſti: non qua fuit ipſe Chriſtus iuſtus, ſed iuſtitiam quæ ex Deo venit, & ex fide donatur credenti, quæ inhæret animæ noſtræ, & facit opera bona & placita coram Deo: quam in ſe agnoſcens aiebat in ſpiritu Dei: Bonũ certamen certaui, curſum conſumaui, fidem ſeruaui: Cæterum repoſita eſt mihi corona iuſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die iuſtus iudex.

HÆRET. Ego per iuſtitiam Dei intelligo illam, qua CHRISTVS fuit iuſtus.

CATH. Scio quòd tu ita intelligis: ſed ſcio etiam ꝙ B. Auguſtinus multis in locis tibi in hoc conſtantiſſimè aduerſatur, reprobans (ne ita intelligeres) decies iſtum ſenſum veſtrum. Porrò quod ſemper habetis in ore, Omnes iuſtitiæ noſtræ tanq̃ pannus menſtruatæ; ego libenter in vobis verum eſſe confiteor: quia immundi eſtis & pedibus & manibus & capite. Nam de illis loquitur Iſaias, qui non habent Chriſti iuſtitiã, & inueniuntur immundi illa antiqua ſorde, quæ panno mẽſtruatæ comparatur, quales ſumus natura omnes: & ideo de omnibus ait ille Propheta, & manifeſtè ſe ipſum declarat: Hæc eius verba ſunt: Ecce tu iratus es: quia peccauimus. In ipſis fuimus ſemper, & ſaluabimur. Et facti ſumus immundi omnes nos, & quaſi pannus menſtruatæ omnes iuſtitiæ noſtræ. Et cecidimus quaſi folium vniuerſi, & iniquitates noſtræ quaſi ventus abſtulerunt nos. Non eſt qui inuocet nomen tuum, qui conſurgat, & teneat te. Hæc ille: quæ certè verificari non poſſunt de

hominibus iuſtis, qui liberati ſunt ab iſto menſtruo, vt ait Zacharias pro
» pheta, cuius verba hæc ſunt: In illa die erit fons patens domui Dauid, &
» habitantibus Ieruſalem in ablutionem peccatoris, & menſtruatæ. Quis iſte fons patens, niſi Chriſtus, per quem liberamur à mẽſtruo, id eſt, à ſorde naturæ noſtræ, quæ prodit vt menſtruata illo peccato antiquo? Non ergo opera iam iuſtificati iuſtitia illa quæ ex Deo eſt, ſunt opera menſtruatæ: quod dicitur aduerſus gratiam Chriſti, eò ꝙ ablutione menſtruum eſt ablatum: ſed ſunt opera bona, quę Deo placẽt: quia in Deo ſunt
» facta, & per illa glorificatur cœleſtis Pater, ſicut dixit Dominus, Vt vi
» deant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. At à menſtruato panno non eſt Dei glorificatio.

HÆRET. Imò Bernardus & alii quidam ſanctorum, illam Iſaiæ ſententiam intellexerunt vniuerſaliter pertinere ad omnes q̃uis iuſtos.

CATH. Vt eſtis iniqui. Eam enim quam vobis libertatem vendicatis, vt cum libet, cuiuſcunq; q̃uis magni autoris dictum repudietis, eò ꝙ fuerit homo potens errare, non conceditis nobis, præſertim vbi & ratio poſtulat, & ſcriptura: q̃q̃ & aliquo modo concedi poteſt, ꝙ omnes etiã ſanctorum iuſtitiæ immundæ eſſent coram Deo, ſi exigeretur illa in eis perfectio, quam primæuus ſtatus ante lapſum poſtulabat. Sed non hoc exigit nunc à nobis benignus & clementiſſimus Pater.

HÆRET. Deus Pater noſter eſt; Igitur ego ſum filius. Si filius, ergo hæres, ait Paulus. Quid quæris opera?

CATH. Cur nõ totum citas quod ait B. Paulus? Ipſe enim ait: Si
» filii, ergo heredes: ſi modo compatimur, vt & conglorificemur. Et hoc
» eſt quod & alibi dixit: Si commortui ſumus; & conuiuemus: ſi ſuſtine
» bimus; & conregnabimus. Et alibi: Non coronabitur, niſi qui legitimè
» certauerit. Nunquid verò ſumus melioris conditionis, quàm ipſe Dominus verus Dei filius? Ipſe aũt de ſeipſo nonne docet, quòd oportuit illum pati, & ita intrare in gloriam ſuam? Duo igitur ad coronam exiguntur, videlicet, certamen, & ipſum quidem legitimum. Si quis igitur non certet, tametſi fuerit filius, excludetur: quia non certauit. Si verò filius non exiſtens fortè certauerit (quanq̃ nemo valeat certare, niſi ſit filius) aut filius etiam exiſtẽs ceciderit in certamine, ſimiliter excludetur. Ille quia non certauit; Iſte quia non certauit legitimè. Lex enim coronæ filiis poſita eſt, non extraneis, qui non ingrediuntur in pactum: & demum filiis qui certauerint ad victoriam, non autem iis, qui in vacuum gratiam Dei acceperint.

HÆRET. Si ex operibus vita æterna, ergo non ex gratia. Vita autem æterna datur ex gratia, dicente Paulo, Gratia Dei vita æterna. Nõ igitur ex operibus. Nam vide vt mirificè loquitur Paulus: prius dixit; Stipendium peccati mors. Vt autem non intelligeres, quòd vita æterna eſſet ſtipendium operum, dixit per aliam antitheſin: Gratia autem Dei, vita æterna.

CATH. Anteq̃ eſſet in rerum natura tritauus tuus, vidit hoc argu

mentum B. Auguſtinus & reſoluit.

HÆRET. Hem vt cõtumelioſè mecum agis impatiens? Vbi Chriſtiana modeſtia?

CATH. Fateor cùm videre mihi videor de induſtria pleroſq; veſtrũ contra compertam pugnare veritatem, & ſimulare ignorantiam; non valeo temperare à ſtomacho. Verùm citra conuicium. Putabam te vidiſſe B. Auguſtinum, qui eleganter illum locum reſoluit dicens. Poterat quidem dicere Apoſtolus ſtipendium operum vita æterna, cùm alibi mercedem vocet: non dixit autem, vt intelligeremus hoc amplius, quòd ipſa opera, & eorum merita procedunt ex gratia, quæ eſt radix ipſius bonitatis operum, quæ Deo placent ad meritum vitæ æternæ, ita vt ipſa vita æterna, & ſi ex operibus veniat, gratia tamen dici poſſit, cum ipſa opera ſint ex gratia. De grã & lib. arb. cap. 9.

HÆRET. Si ex operibus meis ſaluus ſum, defectiua ergo ſunt opera Chriſti & merita, quaſi non potuerint illa per ſe ſine meis adiunctis meritis afferre mihi ſalutem.

CATH. Etiam pergitis illudere miſeræ plebi? Si nos componeremus opera & merita noſtra cum Chriſti meritis & operibus, aut illa noſtris adiungeremus, & diceremus nos adiuuiſſe noſtris illa ſua, ſicut ſi vni trahenti nauem ac non valenti, adiungeretur alius ſimul cum illo trahens; tunc obtineres hoc tuo argumento aduerſum nos. Verùm quia nos dicimus ex Chriſti meritis comparari nobis gratiã, & alia dona, per quæ nobis data eſt facultas operãdi iuſtè ac meritoriè coram Deo; conſequẽter dicimus merita noſtra venire à meritis Chriſti, & ſub illis velut præmia ſua concludi, non autem componi. Ipſe enim meruit vt & nos poſſemus mereri, ita vt merita noſtra, dona ſint ſua: quo fit, vt nõ ſolum non derogemus eius meritis, verum etiam magis arrogemus quàm vos: quia maior eſt Chriſti gloria ſic meruiſſe nobis vitam æternam, vt nos illam poſſemus mereri, quàm ſi hoc nobis donum & facultatem non meruiſſet, ſed ſolum ſimpliciter vitam ipſam æternam: quod non adeò glorioſum foret nec illi, nec nobis. Quare illo modo vna opera & ſeipſum & nos multò magis dignificauit. Nota.

HÆRET. Si Adam abſq; demerito noſtro eripuit nobis ſalutem, cur non illam reſtituit nobis IESVS etiam abſq; merito noſtro?

CATH. Erras. Adam non abſtulit nobis ſalutem ipſam, ſed ſpem ſalutis. Non enim poſſeſſuri eramus regnum cœli ſine facto & merito noſtro. Solùm ergo per Adam eramus erecti in ſpem ſalutis à Deo, quã tamen per ipſum Adam amiſimus abſq; demerito noſtro proprio. Et hanc nobis reſtituit Chriſtus pari modo ſine vllo merito noſtro, credentibus tamen in eum, vt par eſt. Iniquum enim eſſet participem eum eſſe redemptionis, qui in redemptorem non crederet.

HÆRET. Odioſum eſt gloriari in propriis operibus bonis: hoc enim proprium eſt phariſæi, præ quo publicanus reuertitur domum iuſtificatus.

CATH. Odioſum eſt confidere in ſemetipſo, & de falſis operibus
ſuperbè gloriari: et hoc eſt propriũ phariſæi. Audi Euangelium quod
» ait: Dixit Ieſus ad quoſdã, qui in ſe confidebant tanq̃ iuſti, & ſpernebãt
cæteros. Audis ne duo magna peccata phariſæorum? Alterũ in ſeipſis
& ſua virtute confidere: Alterũ etiam ſpernere cæteros. Nunquid hic
erat iuſtus, cuius proprium eſt primò accuſare ſeipſum, & non ſe iuſtifi
» care coram Domino? ſicut ſcriptum eſt: Non te iuſtifices ante Deum;
» quoniã ipſe cognitor cordis eſt. Et nunquid ille iuſtus, qui ſpernit cæ-
teros, & iudicat alienum ſeruum? Sed audi nouum orandi genus: aie-
» bat: Domine ago tibi gratias, q non ſum ſicut cæteri hominum, rapto-
» res, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus. Quid poterat dici pu-
tidius? quid elatius? imò quid ſtultius? Ieiuno bis in ſabbato: decimas
do omnium quæ poſſideo. O pulchram orationem. Si ſolum ex ge-
nere, vel ex officio conſiderarentur opera, certè opera illa phariſæi bo-
na cenſeri poſſent, videlicet, ieiunium & decimatio bonorũ: verum quia
ex principio bono non manabant, hoc eſt, à Spiritu S. mouente illum
per gratiam & charitatem, nec in finem bonum tẽdebant, ſed ad inanem
gloriam & iactantiam; iccircò erant opera non verè bona, ſed mala, &
abominabilia coram Deo. Ergo de bonis operibus gloriari (ſi verè ſint
bona opera) & ſobriè gloriari, id eſt, cum confeſſione & laude Dei, ſicut
Apoſtolus faciebat dicens: Non ego, ſed gratia Dei mecum; & hoc ad
ædificationem proximi; non eſt vituperabile, ſed dignũ laude, & merito-
rium. Illud verò odioſum, amore ſui decipi, & inaniter ſeſe iactare, &
non cum fructu, nec cum propriæ miſeriæ cognitione.

HÆRET. Abſit vt ego de mea vlla iuſtitia auſim gloriari: de illa
vero Chriſti & operibus, quæ mihi donauit, & quæ apprehendo fide, &
facio mea; libenter ſane gloriabor.

CATH. Vide ſi ſapis, ò homo, ne illam iuſtitiam, & opera illa, quæ fi-
de iſta tua te arbitraris apprehendere, ſi manum ſtrinxeris, ventum eſſe
potius inuenias, & inane.

HÆRET. Quomodo poteſtis credere vos poſſe mereri vitã ætet
nam, cum non poſſitis mereri vel primam gratiam? Nam quid eſt ma-
ius, prima gratia, an gloria, quæ eſt vita æterna? Si illam promereri nõ
poteſtis, quomodo hanc poteritis?

CATH. Quid eſt maius, ſemen, an arbor, quæ producitur ex ſemi-
ne? Et tamen terra ſemen non producet ſua virtute, quæ tamen iacto
ſemine & ſuſcepto, producet arborem. Pari ergo modo, licet nõ poſ-
ſis mereri tibi gratiam, dum es filius iræ & iniuſtus, per illa opera tua; ni-
hil tamen mirum ſi iam adepta gratia per fidem, poſſis per opera inde
prouenientia, quaſi per ſemen, producere tibi æternam vitam.

HÆRET. Non ergo quæſiuit mihi Chriſtus æternam vitam, ſed ſo-
lum gratiam: ego vero mihi ipſe quæro vitam æternam.

CATH. O malè ſurde, qui non vis intelligere. Chriſtus mihi & gra
tiam quæſiuit, & gloriam æternam. Sed hoc pacto, vt gratia daretur mi-

hi credenti gratis: vita autem æterna daretur mihi operanti gratioſa opera. Hæc enim totum meruit mihi ipſe Dominus. Et ob eam cauſam nobilitatus ſum per illum: quoniam (vt rectè D. Thomas docet) cum quid habemus ab alio, dignius eſt habere illud ex merito, q̃ omnino gratis. Et cùm hoc ipſum quod eſt nobis nobilius, habeamus à Chriſto, eiuſq; meritis; amplificamus illa, non autẽ extenuamus, vt vos facitis, qui tamen iactatis vos illa prædicare. Nam hoc in maiorem Chriſti cedit gloriam, quod nos ipſi aſſerimus.

HÆRET. Si tu ergo tibi gloriam mereris, maior es Chriſto, qui illam ſibi non meruit.

CATH. Quis catholicorũ hoc in loco valeat ſe continere? O hypocritæ, qui ſimulatis vos pro Chriſto certare. Si Chriſtus non meruit ſibi gloriam, nunquid alius meruit eam illi? Non certè. Itẽ, Si ego mihi gloriam mereor, ſed hoc quod eam merear habeam ab illo, vt ſit conſequens illum magis eam mihi mereri q̃ ego, quomodo ergo me conſtituo maiorem Chriſto? Præterea, quomodo non ſibi Chriſtus meruit gloriam, ſaltem corporis? Et tamen non valet argumentum. Ego mihi gloriam mereor, ergo ſum Chriſto maior, qui illam ſibi non meruit. Alioqui homo eſſet maior Deo: Deus enim ſibi nihil meretur: quoniã mereri non eſt regis, ſed militis. Quòd ergo Chriſtus non meruerit ſibi gloriam animæ, ab eius dignitate hoc venit. Erat .n. Dominus & Rex, verus filius ſummi Regis. Quapropter nõ decuit vt adeo excellens perſona indigeret gloria animæ: quoniam indigere gloria, indignitas quædam eſt: ſatis fuit quòd hanc indignitatem ſubſtinuit in corpore. Hoc vero poſito, quòd quis indigeat gloria, ſicut omnes indigemus, cenſendum eſt multo nobilius ac dignius eſſe eam ex merito adipiſci, q̃ penitus habere gratis, & abſq; merito. Et hoc nobis donatũ eſt per Chriſtũ.

HÆRET. Omnes ſancti prohibent præſumere hominem de ſuis operibus ac meritis, & in eis & propria iuſtitia confidere.

CATH. Inſidioſè loqueris ad excitandam in nos inuidiam popularem. Nemo noſtrũ docet quemq̃ præſumere in ſuis operibus & propria iuſtitia ac meritis: quoniam qui veram iuſtitiam habet, ex Deo habet, vnde veniunt bona opera: & noſcens hóc, non quaſi de propria iuſtitia præſumit tanq̃ propriis viribus liberi arbitrii adepta, ſed agnoſcit donatam ſibi gratis propter merita Chriſti, de quo agit ſinceras gratias, non phariſaicas: quoniam nouit opera iuſta inde venire, & eatenus mereri, quatenus inde veniunt, hoc eſt, ex gratia, & non quatenus ex vi ſui liberi arbitrii, ſi illud à gratia cogitatione ſeparetur, quod nihil poſſet abſq; gratia illa, & iuſtitia donata. Non ergo præſumit, qui iſto modo fidit in operibus ſuis bonis (ſi tamen verè habeat opera bona, & non decipiatur) & cum iſta cõſcientia & confeſſione, quòd ex dono Dei ſit tota ratio bonitatis operum & ratio meritorum. Et ſic fidere, non eſt fidere in ſemetipſo, ſicut phariſæus, ſed in Deo, ſicut Apoſtolus & alii plerique faciebant. Neq; eſt Chriſti derogare meritis, ſed arrogare: Imò tũc

verè prȩſumeret,ſi vacuus operibus ſperaret mercedem ſeu hereditatē, cum de Abraam ſcriptum ſit,quod longanimiter ferens adeptus eſt repromiſſionem.

HÆRET. Tu confidis in tuis operibus bonis: ego verò in miſericordia Dei mei confidam.

CATH. Non abiicio ego miſericordiā Dei, propterea ꝙ in operibus fidam,quȩ vt facere poſſem,mihi à miſericordia datum eſt: ſed malo certam eius miſericordiam admixtam iuſtitiæ, q̃ incertā, ſciens quòd miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi. Tunc autem certa erit eius miſericordia, quando opera miſericordiæ in nobis inuenientur; quia Do» minus dixit: Beati miſericordes; quoniam miſericordiam conſequen» tur. Et Frater Domini: Iudicium fiet ſine miſericordia iis, qui non fe» cerunt miſericordiam. Et princeps Apoſtolorum: Satagite vt per bo» na opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis.

HÆRET. Odioſum eſt,& pias offendit aures,fateri ꝙ in operibus fidere liceat.

CATH. Verè odioſum eſſet,& offenſiuum piarum aurium, ſi confidentia iſta nō eſſet ſobria,nec fateretur omne meritū pertinere ad donum Dei. Alioqui B. Paulum reprehendas, qui admonebat Hebræos ne amitterent confidentiam diuinæ remunerationis, quam in bonorum operum exercitio eſſe,ipſe idem Apoſtolus manifeſtè docet.

HÆRET. Quis audebit comparere in iudicio,quod manifeſtatur in luce,fretus ſuis operibus?

CATH. Si nullus audebit, Ergo Dominus non verè dixit: Qui be» ne agit, venit ad lucem, vt manifeſtentur opera eius: qm̃ in Deo ſunt facta. Ecce ipſius Domini teſtimonium, contra quod, quis auſit hiſce» re? Dixerat: Qui male agit,odit lucem, & non venit ad lucem. Quid eſt,non venit ad lucem,niſi quòd non audet comparere ad iudicium ante Deum? Id verò quamobrem? niſi quia reprehenditur à conſcientia: quia male egit,& non vult argui. Dicat hoc Dominus ipſe ſuis verbis: Quare qui male agit odit lucem? Ecce ratio Domini: Vt non arguantur, inquit, opera eius. Qui autem bene agit, venit ad lucem. Quare? vnde tanta confidentiæ ratio? Reſpondeat Dominus: Vt manifeſtetur, ait,opera eius. Quid ais Domine? Tu ne ergo doces nos audere in operibus & iuſtitiis noſtris fidere, quæ ſunt velut pannus menſtruatæ? An non tibi videtur quòd reſpondeat Dominus,Non conuenire his operibus,de quibus ipſe loquitur,& in quibus permittit nos gloriari & confidere,vt ea dici poſſint pannus menſtruatæ? Illa enim opera quæ ſunt tanq̃ pannus menſtruatæ,ſunt ea quæ veniunt à noſtra iuſtitia humana. Et hæc non ſunt bona: quia carent principio bono,& fine. Non enim veniunt ex charitate, neq; tendunt in Deum: & ideò non ſunt facta in Deo. At iſta,in quibus eſſe poteſt fiducia minime vana,in Deo ſunt facta: iccircò ipſe ait: Quia in Deo ſunt facta. Quomodo autem in Deo ſunt facta? Quis eſt Deus? Nonne eſt Chriſtus? Ipſe autem nonne eſt

vitis vera,& nos palmites? Palmes autem qui manet in vite & fructificat, nonne fructificat ipſe in vite,& fructus illi nōne veniunt ex vite præbente ſuccum palmiti? Ecce quomodo opera bona ſunt facta in Deo: quia veniunt à membro Chriſti: ipſe autem eſt Deus. Qui enim manet in charitate,in Deo manet,& Deus in eo. Homo eſt igitur qui facit opera quaſi palmes,quæ & ipſe Deus magis facit,quaſi vitis. Et ideò afficit tanto præmio:quoniā ſua ſunt,& bona ſunt,nec propterea non noſtra.

HÆRET. Tu ne igitur fretus tuis operibus bonis audebis comparere ante tantum iudicem, dicente propheta: Non intres in iudicium »
cum ſeruo tuo: quia non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens? »

CATH. Et tu quomodo te iuſtificari putas ſola fide,& audebis cōparere coram Deo, ſi non iuſtificabitur in conſpectu eius omnis viuens? Mirabile eſt certè, quòd vos in ſola fide ſecuri futuri eſtis: nos verò cū fide & operibus non erimus.

HÆRET. Nihil mirabile hoc: quia vos in operibus confiditis. Nos autem nec in operibus, nec in fide,ſed in ſola Dei miſericordia: & de hac habemus certiſſimam fiduciam ex fide.

CATH. Videte ne talis veſtra hæc fiducia vana ſit, cum ſit bonis operibus vacua. Ait enim Dilectus: Si non reprehenderit nos cor no- »
ſtrum, fiduciam habemus ad Deum. Illum autem non reprehēdit cor, »
qui vitauit malum, & fecit bonum.

HÆRET. Equidem miror(vt aliquando ipſe etiam commoueat zelo veritatis) miror inq̄, vos eſſe tantæ arrogantiæ, vt putetis poſſe ante conſpectum tremendi iudicis ſtare freti ſolum operibus veſtris,nec indigere imputata illa Chriſti iuſtitia ad euitandam damnationem æternam. Profectò hanc veſtram tam arroganter præſumptam fiduciam damnant ſancti Patres,in quibus vos fiditis.

Ecce primum Auguſtinus ait: Væ hominum vitæ etiam laudabili, ſi «
remota miſericordia diſcutias eam. Ad hęc, B. Gregorius ſuper cap.9. «
Iob ſic ait: Sanctus vir omne virtutis noſtræ meritum eſſe vitium con- «
ſpicit,ſi ab interno arbitrio diſtrictè iudicetur. B. item Bernardus in hunc modum docet q̄diuiniſſime,oportere nos,teſtimoniū conſcientia perhibente, tria credere. Primò remiſſionem peccatorum non poſſe haberi,niſi per indulgentiam Dei. Deinde,quòd nihil prorſus habere «
queas operis boni,niſi & hoc dederit ipſe. Poſtremo,quòd æternam vi- «
tam nullis potes operibus promereri,niſi gratis detur & illa. Et adiecit: Neq; enim talia ſunt hominum merita,vt propterea debeatur vita æter- «
na ex iure: aūt Deus iniuriam aliquam faceret, niſi eam donaret. Hæc «
ille. Et alibi: Quæramus gratiam: Sola eſt gratia qua ſaluamur: quærant alii meritū:nos inuenire gratiam ſtudeamus. Maria non prætendit meritum, ſed gratiam quærit. Et alibi: Meum meritum miſeratio Domini. Et ſi miſericordiæ Domini ab æterno vſq; in æternum; ego «
quoq; miſericordias Domini in æternum cantabo. Nunquid iuſtitias meas? Domine, memorabor iuſtitiæ tuæ ſolius. Ipſa eſt enim & mea.

Nempe factus es mihi tu iuſtitia à Deo. Nunquid mihi verendum, ne
non vna ambobus ſufficiat? Non eſt pallium breue, quod ſecundum
prophetam non poſſit operire duos. Iuſtitia tua, iuſtitia in æternum.
Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter. Larga
& æterna iuſtitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum:
in te autem Domine quid, niſi pietatis theſauros, diuitias bonitatis? Hę
in foraminibus petræ repoſitæ mihi. Et ſuperius dixerat: Ego vero fi-
denter quód ex me mihi deeſt, vſurpo mihi ex viſceribus Domini. Hæc
« ille. Nunquid igitur ab re miror vos eſſe tantæ arrogantiæ, vt putetis
« poſſe ante Dominum ſecurè comparere, & damnationem effugere, abſq;
imputata hæc Chriſti iuſtitia, & ſolummodo ex bonis operibus veſtris
ac meritis?

CATH. Miraris tu quidem, vir ſapiens, arrogantiam noſtram. Nos
autem econuerſo, (vt parcè loquar) ob inſipientiam veſtram vehemen
ter obſtupeſcimus, qui adhuc non capitis, ꝙ in operibus iuſti bonis om-
nia inſunt, quæ faciunt ad perfectam fiduciam corã Deo conſtituendã,
vt iuſtè ſuſcipiat præmia, cum inter bona opera etiam illud connumere
tur, videlicet, cognitio donorum Dei, & agnitio propriæ imperfectio
« nis, & eius confeſſio coram Deo, & oratio ac deprecatio veniæ, deuota ſa
« cramẽtorum ſuſceptio, & certa fides remiſſionis, iuxta pollicitationem
& pactum cum Deo conſtitutum nobiſcum, quòd ingemiſcẽte peccato-
re, delẽtur quæ humana fragilitas admiſit, ita quòd iis operibus debetur
illa venia propter inhabitantem Spiritum ſanctum in nobis, quem acce-
pimus ex miſericordia Patris propter merita Filii. Hic eſt qui facit nos
implorare gemitibus inenarrabilibus, & iure noſtro vſurpare de fora-
minibus Petræ, & ideò impetrare: quia filii Dei ſumus, & diligimus in ve
ritate, vt perfecta iſta in nobis charitas omnem foras pellat timorẽ: quia
» & ipſe benigniſſimus Dominus ait: Nolite timere: Ego vobiſcum ſum
» vſq; ad conſumationem ſæculi: Et nõ dico vobis, quia rogabo Patrem
» de vobis: Ipſe.n. Pater amat vos, quia vos me amaſtis, & crediditis quia
exiui à Patre. Ecce paternæ dilectionis ratio erga nos, videlicet, noſtra
erga Chriſtum dilectio, vnde ſpes illa quæ non confundit. An non au-
ditis vos Apoſtolum dicentem nomine omnium iuſtorum: Gloriamur
» in tribulationibus: quia tribulatio patientiam operatur: patientia pro
» bationem: probatio ſpem? Et qualem ſpem? quæ ducens in interio-
ra velaminis, idest, vſq; ad contemplandam Dei faciem, nõ confundit.
» Quare non confundit? quia charitas Dei, inquit Apoſtolus, diffuſa eſt
» in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis. Verum mitta-
mus pauliſper ſcripturas, & Doctorum autoritates: Agamus ex fidei no-
ſtræ principiis notiſſimis, vt latè probemus quod dicimus. Primũ non-
ne illud recipitis, quòd ad vitam æternam promerendam ſatis eſt ſerua
» re mandata Dei? Chriſtus ipſe hoc dixit: Si vis ad vitam ingredi, ſerua
mandata. Tum quis neget dari homines iuſtos ſecundum ſcripturas?
Nullus autem iuſtus, niſi qui Dei cuſtodit mandata. Scriptum eſt enim

de Zacharia

de Zacharia patre Ioannis Baptiſtæ,& coniuge ſua,quòd erant iuſti ambo ante Deum,incedentes in omnibus mandatis & iuſtificationibus Domini ſine querela. Idem de aliis pleriſq; teſtatum legitur. Et quidem de viris noui teſtamenti fuit prophetia Ezechielis, & Ieremiæ, qui prædixerunt hanc ſuper eos aduenturam à Dei ſpiritu iuſtitiam, & ambulaturos ſecundum præcepta Dei. Ponatur ergo hoc de facto ita eſſe,ſicut prænunciatum eſt. Quid, quæſo, deerit huiuſmodi iuſtis, quo minus poſſint cum fiducia comparere ante conſpectum magni iudicis, cum dicere poſſint: Ecce ſeruauimus mandata tua, ſerua tu quoq; quod nobis es pollicitus.

HÆRET. Tu igitur putas poſſe ſeruari legem charitatis?

CATH. Tu ne id negas?

HAERET. Quid ni vero negem? Quis eſt enim qui diligat Deum ex toto corde,& anima,& mente,& omnibus ſuis viribus: & proximũ ſicut ſeipſum? Quòd ſi hoc in vllo non eſt; nec eſſe poſſibile credendum eſt. Eſſet enim aliquando in aliquo,ſi hoc poſſibile foret. Item ſcriptũ eſt: Non concupiſces. Quis eſt autem qui non concupiſcat, aut etiam poſſit non concupiſcere,cum peccatum habitet in nobis, à quo captiui tenemur, vt non faciamus quod volumus bonum, ſed quod nolumus malum? Hoc enim etiam ad Chriſtianum pertinet, qui captiuus tenetur in lege peccati. Hæc non eſt doctrina noſtra noua,ſed Auguſtini,& Pauli.

CATH. Si verum eſt quod ais,mandatum illud: Diliges Dominũ Deum tuum. Et item: Non concupiſces,non poſſe à Chriſtiano impleri,& tamen præcepta hæc fuiſſe nobis à Domino vt impleantur; conſequentiſſimum eſt, Deum nobis impoſſibilia præcepiſſe, ac propterea ea à nobis exigere, quæ ſupra facultatem noſtram ſunt, & omnino non poſſumus.

HAERET. Quid vetat?

CATH. Quid vetat,ais? Et hanc putas, eſſe Diui Auguſtini ſententiam?

HAERET. Clarè.

CATH. At nos profectò, clarè ex B. Auguſtino oppoſitum tenemus,qui quod dicitis exhorreſcens tanq̃ blaſphemiam, videlicet, Deum impoſſibilia præcepiſſe, econuerſò diſertè aſſerit, Nemini Deum impoſſibilia præcipere. Et multis in locis nõ ſolum impleri poſſe legem Chriſti affirmat,verum etiam de facto impleri à iuſtis.

HAERET. Hic ergo neceſſe eſt ad librorum inſpectionem venire.

CATH. Rectè.

HAERET. In promptu mihi ſunt loca.

CATH. Scio. Nam quæ videntur vobis fauere (quia iis tantum innitimini) in promptu ſunt vobis: quia ea per manus traditis. Quæ autem pro nobis ſtant, poſtergatis. Produc igitur tu primum ex illo quæ vis.

HAERET. Ecce in lib. de ſpiritu & litera, & alibi, ſæpius ille dicit, & te non ignorare exiſtimo, illud præceptum: Non concupiſces, impleri in hac vita non poſſe. Et nihilominus in lege fidei hoc præcipi ait in eodem lib. cap. 14. Quid hic potes mutire? Eſt quidē Dei præceptū: Non concupiſces, & hoc impleri non poſſe ait Auguſtinus. Adde ꝙ alibi etiam negat illud præceptū dilectionis impleri poſſe, niſi in patria.

CATH. Tu verò audi me nunc. B. Auguſtinus in libr. de Natura & gratia cap. 69. ſic ait: Eo quippe ipſo quo firmiſſime creditur Deum iuſtum & bonum, impoſſibilia non potuiſſe præcipere. Hinc admonemur & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe ſunt facilia charitati, cui vni Chriſti ſarcina leuis eſt; aut ea vna eſt ſarcina ipſa, quæ leuis eſt, ſecundum hoc dictum: Et præcepta eius grauia non ſunt: vt cui grauia ſunt, conſideret non potuiſſe diuinitus dici, grauia non ſunt, niſi quia poteſt eſſe cordis affectus, cui grauia non ſunt; & petat quo deſtituitur, vt impleat quod iubetur. Et Paulo inferius: Quomodo eſt enim graue, cum ſit dilectionis mandatum? Aut. n. quiſq; non diligit, & ideò graue eſt: aut diligit, & graue eſſe non poteſt. Diligit autem ſi quod illic admonetur Iſrael, conuerſus fuerit ad Dominum Deum ſuum ex toto corde ſuo, & ex tota anima ſua. Mandatum,
» inquit, nouum do vobis, vt vos inuicem diligatis. Et qui diligit proxi-
» mum, legem impleuit: & plenitudo legis charitas. Secundum hoc, & il-
» lud dictum: Si ambularent ſemitas bonas, inueniſſent vtiq; ſemitas iuſti-
» tiæ leues. Duræ ſunt timori, leues amori. Hæc ſanctus Doctor. Ecce quàm clarè vt firmiſſimam rem proponit, non ſolum quòd Deus non præcipit, ſed quòd nec potuit præcipere impoſſibilia: nec id ſolum, ſed quòd leuia dedit mandata. Quo ſtante vero, vt certè verum eſt, quo pacto ſecus alibi diceret non tam ſibiipſi contrarius, q̃ ipſi ſacræ ſcri-
» pturæ? Nam Dominus: Iugum, inquit, meum ſuaue eſt, & onus leue. Nunquid etiam te latet B. Hieronymum anathemate ferire vt blaſphemum, qui dixerit Dominum Deum impoſſibilia nobis præcepiſſe?

HAERET. Quid eſt ergo quod alibi ait (ſicut dixi) præcepta illa non perfici, nec impleri in via?

CATH. Ideò oportet ruminare, & fixas habere vngulas, vt ſciamus diſtinguere. Eſt. n. quidam perfectionis modus mandati illius dilectionis, & item illius Non concupiſces: qui modus niſi in patria impleri non poteſt, vbi erit implementum, & euacuabitur præceptum. Hic modus ſic præfinitur, quòd totum cor hominis ſemper feratur actu dilectionis in Deum. Hoc autem nobis impoſſibile eſt, nec in via quidem præcipitur, aut exigitur à nobis. ¶ Eſt & alius modus pfectionis, quem certè deberemus, ſi manſiſſemus in ſtatu illo iuſtitiæ primæuo, in quo abſq; vlla lucta cum carne, penè nullo obſtaculo, poſſemus hāc iuſtitiam perficere, & opus planè perfectū continuè reddere in omni obſequio & officio, quæ ratio ipſa poſtularet. Et ad hunc modum vix hic cuiq̃ datur attingere, niſi Beatiſſimæ illi Virgini, cui ſoli hoc priuilegiū datum

eſt,vt non haberet in ſua ſanctificata & benedicta carne peccatum, ſicut nos habemus,qui ſi dicimus quod peccatum non habemus, nos ipſos ſeducimus,& veritas in nobis non eſt. Hic autem modus dilectionis non eſt nobis præceptus,modo maneamus in Chriſto : quia adhuc impoſſibilis nobis eſſet.

Reſtat ergo tertius modus impletionis præceptorum, qui eſt in hoc ſtatu recuperatæ gratiæ,in quo nó eſt perfecta ſanitatis reſtitutio iuxta primæuam conditionem : quia relicta eſt in nobis concupiſcentia ſpiritui aduerſatrix. In hoc ergo ſtatu & ſi non poſſumus ſecūdum carnem non concupiſcere, poſſumus tamen,ſecundum ſpiritum, poſt concupiſcentias non ire,hoc eſt,non conſentire peccato. Quod ſi fecerimus, eligentes potius quæ ſuadet ſpiritus,q̃ quæ Diabolus, aut caro & mundus, nihil nobis damnationis eſt : & hoc eſt quod poſſumus : & ideò nobis præcipitur,atq; exigitur ab exiſtentibus in hoc ſtatu gratiæ. Poſſumus ergo non concupiſcere,ideſt,concupiſcentiis non conſentire:quod mādat lex fidei. Quòd ſi caro concupiſcit voluntate minime cōſentiente, iam non ego operor illud,vt ait Apoſtolus. Et ob eam cauſam nó me conſtituo præuaricatorem. Vide vt ſic omnia rectè componantur. Nunc ergo audi B.Auguſtinum pro his mirificè ediſſerentem. Etenim de Nuptiis,& concupiſcentia ad Valerium lib.1.cap.23 ait : Ipſa concupiſcentia in renatis iam non eſt peccatum,quando illi ad illicita opera non conſentitur,atq; vt ea perpetrent,à regina mente membra nō dantur : vt ſi non fit quod ſcriptum eſt,Non concupiſces; fiat ſaltem quod alibi legitur, Poſt concupiſcentias tuas non eas, &c. Verum plurima loca ſunt Beatiſſimi huius Patris,quibus abſq; dubio iugulamini. Lege ſi placet de natura & gratia cap.58.vbi ait : Non abnuimus humanam naturam poſſe eſſe ſine peccato : nec vllo modo negare debemus perfici poſſe,quam proficere nō negamus : ſed gratia Dei per Ieſum Chriſtum. Vide quę ſcribit eodem libro cap.35 & cap.62,& in lib.3.cap.5.contra duas epiſtolas pelagianorū: & videbis illū certò aduerſum vos militare.

HAERET. Eſto ſanè ſint iſtæ Auguſtini ſententiæ. An tu obſecro,vis nos per illum aſtringi,cum ipſe nolit?

CATH. Hoc nunc agimus,non vt ſententiis B. Auguſtini aſtringaris,ſi hoc renuis, ſed vt agnoſcas B.Auguſtinū nō veſtris dogmatibus aſſentiri aut fauere,ſed à nobis ſtare. Nec tamen nobis deſunt ſcripturæ, quibus vos nullò modo poteſtis reſiſtere.

HÆRET. Nunq̃ ego perſuadebor poſſe hominem complere omnem iuſtitiam,cū in quauis actione,quamuis bona,deficiamus,ne ſit perfecta vt oporteret. Qui autem in vno offendit,omnium fit reus. Et in lege ſcriptum eſt : Maledictus omnis qui non permanſerit in omnibus quæ ſcripta ſunt in libro legis,vt faciat ea. Oportet igitur per imputatam Chriſti iuſtitiam liberari nos à maledicto.

CATH. Verè multipliciter deficimus, & penè in omni actione noſtra : ſed non propterea lætaliter ledimur,nec amittimus propterea da-

tam iuſtitiam,vt rectè ait B. Auguſtinus. Vnde non eſt opus aliter nobis inputari iuſtitiam Chriſti, cùm eius beneficio,donum quod dedit, ſeruamus in corde. Maledictum verò illud legis, erat Iudeorum tantum, non gentium: à quo tamen qui non abiiciebant gratiam liberabantur. Porrò quod ait B.Iacobus: Qui in vno offendit, omnium reus efficitur; nō habet locum,niſi in tranſgreſſionibus & pręuaricationibus mandatorum,quando lætaliter offendimus. Quæ autem excidunt minutulæ offenſiones,de quibus ille loquitur, fide & charitate per orationem abluuntur,nec obſtant multis ad ingreſſum regni. Quòd ſi quid etiam purgandum remaneat; hoc non ablegat nos à facie Dei,niſi fortè ad tēpus. Et hæc eſt B.Auguſtini doctrina. Quòd vero ille ait,Væ hominū vitæ etiam laudabili &c. omnino verum eſt. Sed vos neſcitis hæc, quæ coniuncta ſemper ſunt,etiam coniunctim conſiderare: quoniam alterū ab altero excludi primo aſpectu videtur. Putatis enim vos,quòd ſi meritum eſt cum Deo, continuò miſericordia & gratia excludatur: et ita èconuerſo: et ignoratis, ꝙ miſericordia & veritas obuiauerunt ſibi: iuſtitia & pax oſculatæ ſunt. Eſt quidem miſericordia quæ excludit merita, cum pura eſt, quando exhibetur inimico. Et eſt miſericordia,quæ meritum prēſupponit,non excludit,cui admiſcetur iuſtitia: quia ex pacto redditur: & hæc eſt filiorum qui obtemperarunt. Quę miſericordia ſi forte à nobis non agnoſcitur, omne meritum tollitur, vt ait D. Bernardus: Imò omne meritum coram Deo vitium eſt,vt ait B.Gregorius. Itaq; homo Dei,radicem omnium meritorum agnoſcens(quæ eſt miſericordia & gratia diuina,quæ prēuenit & cōcomitatur,vnde & opera procedunt & merita)figens oculū in miſericordia ipſa,deſpicit opera & merita: quia non implent illam rationem meritorum, quæ cogitatur in prophanis commertiis,vbi cum ex iure aliquid vendicamus, non habemus gratiam: quia ius ipſum non ex gratia natum eſt. At non ſic eſt in commertio cum Deo: quoniam hoc ius,quod in eum habemus, ex eius miſericordia & gratia venit,qui ſic ſtatuit pactum,& tales nos aptauit Deus Pater per Chriſtum,vt a gratia & miſericordia proueniat meritum,ſi tamen agnoſcamus & confiteamur gratiam. Nam & id confiteri opus eſt,& meritum fit,& licet nobis in eo cōfidere,& vt ita dicam, ſanctè præſumere, quoniam hoc eſt fidere in Deo, non in nobis. Ideo cum B.Auguſtino confitemur,ꝙ Deus coronat dona ſua. Quando igitur excludit D.Bernardus opera & merita,& item ius operum & meritorum; ſecundum eam conſiderationem excludit,quæ abiicit gratiam & miſericordiam, tanquā ex gratia non veniant. Nam ita cogitare,præſumere eſt: quod eſt proprium phariſęorum & pelagianorum. Quòd verò merita abſolutè non neget ille ſantiſſimus Abbas; paſſim indicat in ſermonibus ſuis. En ſuper Cant.Ser.27.de anima,quā inhabitat Spiritus ſanctus, & viam mandatorum cucurrit, & dilatatum cor habet,ſic ait: O quanta illi animæ latitudo,quanta & meritorū prærogatiua. Et ſerm. 62. Manſiones,inquit,multæ ſunt in domo Patris & diuerſæ, in quibus

De natura & gr̄a cap. 38.

habet collocare filios ſuos pro quoruncunq; diuerſitate meritorum &c. Denique de meritis audi alibi eundem optimè concludentem: Sufficit ad meritum, ſcire quòd non ſufficiunt merita. Sed vt ad meritum ſatis eſt de meritis non præſumere; ſic carere meritis ſatis ad iudicium eſt. Merita proinde habere cures, habita data noueris, fructū ſperaueris Dei miſericordiam, & omne periculum euaſiſti paupertatis, ingratitudinis, præſumptionis. Pernitioſa paupertas penuria meritorum: præſumptio autem ſpiritus, fallaces diuitiæ. hæc ille. Vbi paucis verbis tota noſtra doctrina concluditur.

HÆRET. Nec iis veſtris enunciatis diſtinctionibus poſſum perſuaderi. Nam quæ (rogo) æqualitas operum ad æternam vitam, vt poſſitis dicere vos illam mereri? Permittimus autem quòd mereamini alia præmia bonis veſtris operibus: At vitam æternam, vitam inquam illam æternam, minime.

CATH. Si opera conſiderentur vt ex Deo & gratia eius veniunt, condignè profectò debetur eis vita, & in operibus iſtis eſt vis & valor vitæ æternæ, & eſt æqualitas non rei ad rem, ſed virtutis, vt docet B. Thomas: ſicut ſemen quod non æquatur arbori ſecundum rem, ſecundum virtutem tñ equatur: quia vim habet in ſe producendi illā tantam arborem. An nō legiſti B. Paulum comparare ſemini bona opera, & dicere: Qui ſeminat in ſpiritum, de ſpiritu metet vitā æternam? O locū potentem ad obſtruendū os loquentium iniqua. Audis bona opera ſpiritualia ſata ſup ſpiritum, ideſt, ſuper iam adepta ſpiritualem iuſtitiam, eſſe ſemen? Audis ſeminis huius meſſem eſſe vitam æternam? Meſſis autem vnde, niſi à virtute ſeminis? Vita ergo æterna venit à virtute operum: nam & Dominus iuſtitiæ ſuæ donum, quam donat nobis, vocat aquam viuam ſalientem in vitam æternam. Ideo.n.ait, viuam; quia in ea eſt vis ad gradiendum per opera vitæ in vitam æternam.

HÆRET. Tu metaphoris arguis, quę non ſemper rem exprimunt.

CATH. Imò pulchrè, & admirabiliter.

HÆRET. Si homo meretur ex operibus, cur iubet Dominus: Cum feceritis hæc omnia, dicite: Serui inutiles ſumus: quod.n. debuimus facere fecimus. Nunquid enim meretur, qui debitum ſoluit?

CATH. Si ſic res habet, ergo neq; CHRISTVS meruit quicq̄, qui etiam quod fecit, facere debuit. Obedientiam enim debitam Patri exhibuit. Seruus igitur inutilis fuit & ipſe. Ecce q̄ facile veſtris ipſis commentis confutamini. Et ideò videtis, quòd præſumitis intelligere quæ non intelligitis. Ergo ſi vultis intelligere, audite, & cedite veritati. Homo circa rationem meritorum conſiderare ſe debet ſecundum duos modos coram Deo. Vnus eſt ſecundum id quod eſt ex ſui natura ſibi data à Deo. Alter eſt ſecundum id quod ex gratia & donis ſuperadditum eſt illi. Si ergo primo modo ſe conſideret; ſeruum ſe agnoſcet, & nihil ſe poſſe mereri: quoniam inter Dominum & ſeruū non eſt ratio iuſti. Si autem conſideret ſe ſecundo modo; aliud eſt. Videt enim

ſe in cõmercium & pactum veniſſe cum Deo,ita Deo volente ac ſtatuente gratioſè, vt iam non tanquam ſeruus, ſed vt amicus conſideretur & filius. Vt autem homo ſit dignus obtinere aut retinere quæ gratiæ & pacti gratuiti ſunt, oportet eum confiteri quæ ſunt naturæ. Et ideo debet confiteri ſe eſſe veluti lutum coram figulo, & verè peccatorem,ne ſit ingratus,vt ſit dignus recipi pro ciue & pro innocente & amico,imò pro filio. Et cum etiam ad hos gradus ſublimatus per Chriſtũ, ſit obligatus facere cuncta pro Deo & pro Chriſto,confiteri etiam debet ſe inutilem ſeruum: quia quæcunq; facit, tanq̃ ſolutio debiti recipi poſſet, & non tanq̃ acquiſitio meriti. Et hoc primum debet homo conſiderare & confiteri. Verũ quia ex alia parte Deus noſter & Pater noſter IESVS Chriſtus ex ſua liberalitate munificentiſſima vult etiam remunerare quæ ſoluuntur ei debita,ſicut & iuſtum eſt vt fiat filiis à Patre (Nam de illo dicit Apoſtolus,quòd ipſe factus eſt cauſſa ſalutis obtemperantibus ſibi) Ideò non prohibetur homo ſperare præmium de obedientia vt filius,ſi hoc tamen primum confeſſus fuerit, ſe debitum ſoluiſſe, non autem ſe vtilitatem attuliſſe Patri,vt præmium ſit corona munificentiæ ſuę. Qui autem ſic fuerit humiliter cõfeſſus,poteſt etiam in confidentia ſancta cũ
» Apoſtolo dicere,Bonum certamen certaui: in reliquo repoſita eſt mihi
» corona iuſtitiæ,quam reddet mihi Dominus iuſtus iudex. Et poteſt dicere ſe etiam vtilem fuiſſe Domino ſuo, dicente Apoſtolo: Si quis ſe
» emundauerit ab iis,erit vas in honorem,ſanctificatum,& vtile Domino,
» ad omne opus bonum paratum. Nam quicquid nos inuicem nobiſipſis impendimus charitatis, Dominus IESVS gratioſe accipit ac remunerat tanq̃ impenſum ſibi: propter quod ipſe: Quodcũq; vni ex minimis
» meis feciſtis,mihi feciſtis. Nam omnes vnum ſumus cum illo, quicunq;
» de ipſo pane & ſanguine participamus.

HÆRET. Quis gloriabitur ſe mundum habere cor, & immunem eſſe à peccato,cum in multis offendamus omnes, & qui in vno offendit, reus omnium conſtituatur?

CATH. Si nullus eſt mundus,cur ait Dominus: Et vos mundi eſtis
» propter ſermonem meum? Et: Beati mundo corde. Item B. Petrus:
» Fide purificans corda. Et B.Paulus: Sed abluti eſtis,ſed ſanctificati eſtis.
» Quod ergo dicitur:Quis gloriabitur ſe mundum habere cor; poteſt in-
» telligi (vt eleganter exponit D. Chryſoſtomus) q̃ quia nemo talis eſt ex ſe ipſo; ideò gloriari nemo poteſt ſimpliciter,ſed in Domino,qui facit mundum de immundo conceptum ſemine. Vnde Moyſes: Nullus
» apud te per ſe innocens eſt.

HÆRET. At quis hoc ſcire poteſt de ſe ipſo, cum dicat Iob: Si
» ſimplex fuero,hoc ipſum ignorabit anima mea?

CATH. Quomodo tu ais, Iob ignorare ſimplicitatem ſuam & innocentiam,quam etiam longis ſermonibus prædicat? Difficilia ſunt quæ in eo libro diſputantur & plena obſcuritatibus, quæ non eſt opus huc adducere,tametſi fortè poſſem, quòd ad hanc rem pertinet. Si au-

tem nullus eſt conſcius conſcientiæ ſuæ, cur Apoſtolus ſibi ipſi atteſta-
tur tam confidenter, aiens: Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcien- "
tiæ noſtræ, ꝙ in ſimplicitate cordis & ſinceritate Dei, & non in ſapientia "
carnali conuerſati ſumus in hoc mundo? Nunquid ergo falsò & impu- "
denter hæc & alia multa de ſe prædicabat, quæ atteſtabantur gratiæ Dei
exiſtenti in ipſo? Qui audet etiam dicere: Viuo ego iam non ego, vi- "
uit aũt in me Chriſtus. Et: Mihi mundus crucifixus eſt & ego mundo. "

HÆRET. Quid eſt, rogo, quod dicitur, omnium ſanctorum eſſe vocem in veritate dicentium & orantium Dimitte nobis debita noſtra?

CATH. Sunt (vt dixi) leuia & venialia peccata, quæ non adimũt iuſtitiam & gratiam, nec auferunt confidentiam & ſpem præmii. Fragilitate.n.humana committuntur, & iis etiam non carent ſancti in hac vita, vt paſſim docet B. Auguſtinus. Sed vt ferè committũtur aſſiduè; ita & aſſiduè confeſſione humili, & oratione fideli, & deuotis ſacrificiis & ſacramentis, & operibus charitatis diluuntur ac dimittuntur, & facile omnis eorum macula abſtergitur. Charitas enim operit multitudinẽ peccatorum, ita vt multi immaculati & irreprehenſibiles appareant coram Deo: quemadmodum Apoſtolus docet, & Vertex apoſtolorum. Nam horum fidem auro præſtantiorem facit, quod per ignem probatur. Qui etiam hæc venialia admittit, non propterea fit omnium reus: quoniam B. Iacobus, qui illam ſententiam dixit, de tranſgreſſione mãdatorum intellexit, quæ eſt mortale, vt ipſe ſuis exemplis manifeſtè ſatis indicat.

HÆRET. Hæc diſtinctio mortalium & venialium ſcholaſtica eſt. Nullum eſt autem peccatum non mortale coram Deo.

CATH. Non quia ſcholaſtica, ideò erat repudianda, cùm multa doctè ſcholaſtici commenti ſint. Et tamen B. Auguſtinus ſępenumero hãc ipſam docuit diſtinctionem, & ante illum B. Baſilius in ſermone exhortationis ad baptiſmum, & alii ſancti patres. Sed agnoſco lutheranã aſtutiam. Quia.n.his ille diſtinctionibus vidit cunctas reſolui, quas ipſe ad decipiendum tendit argutias, ideò audacter negat, & odio in ſcholaſticos concitato, eſſe ſcholaſtica & ſophiſtica calumniatur: & craſſi homines (quia craſſi ſunt) ſic ab hæretico eluduntur.

Contra duas epiſto. pelag. lib. 1. cap. 13. 14. & de ſpi. & lit. cap. 28.

HÆRET. Et ſi fortè hoc ꝙ ais de peccato veniali & mortali eſt ex patribus, nunquid ideò probãdum ſine iudicio? Nam etiam meritum vox eſt ex patribus, & tamen mirum quàm ego oderim illam vocem. Nam vbi eam legis in ſcripturis?

CATH. Quod eſt ex patribus, ſi a nobis probatur; non ſine iudicio probatur vel ob hoc, quia magna eſt patrum autoritas. Quo vos etiam magis peccatis, qui ſine iudicio ac temerè tantam autoritatem contemnitis: vnde magnam merito in vos concitatis inuidiam. Porrò quod quæris vbi legerim MERITVM in ſcripturis; accipe: Vbi mercedem lego, ibi meritum colligo. Et tamen in Eccleſiaſtico lego: Omnis miſericordia faciet locum vnicuiq; ſecundum meritum operum ſuorum.

HÆRET. Conſule græcos codices,& ibi non inuenies vocē iſtam meritum.

CATH. Vnde ergo accepit interpres, niſi quia vel ibi legerat in græcis,vel ſi fortè non legerat vocem, Senſum tamen videbat? Vbi autem de re conſtat,fruſtrà de vocibus diſputatur. Porrò reddere vnicuiq; ſecūdum opera ſua,quid eſt aliud,niſi reddere pro meritis operum ſuorum,ſicut vniuerſa ſemper accepit eccleſia & ſancti omnes? Et ſic ille interpres accepit. Vt enim inquit Apoſtolus, Iuſtum eſt apud Deum retribuere tribulationem iis,qui tribulant; & iis requiem,qui tribulantur. Vnde & alibi: Non eſt iniuſtus Deus vt obliuiſcatur operis veſtri,& dilectionis, quam oſtendiſtis in nomine ipſius. An non his locis agnoſcis meritum,vbi ex iuſtitia fit retributio? Et cur tantopere odiſtis vocem, qua ſancti Patres, & vniuerſa eccleſia in diuinis tam frequenter vtuntur? Qui nam eſtis vos,qui contradicitis cunctis? an vos ſoli ſapientes, & vobiſcum morietur ſapientia?

HÆRET. Imperfectorum valdè & mercenariorum eſt propter præmium operari: ego vero nolo mercedem vt mercenarius,ſed hæreditatem vt filius. Tu imperfectus apprehende mercedem ſi potes: ego mea fiducia iam apprehendi tanq̃ filius hæreditatem.

CATH. O beate comprehenſor in via: ſtringe manum,ne tibi eripiatur tanta fœlicitas. Sed extra iocum: caue ſi ſapis, ne dum mercedem, quadam fortè ſubtili ſuperbia ſpernis, hereditate priueris: et ne dum præmium recuſas,careas dono. Eſſe enim didici vitam æternam prę̄mium,eſſe & donum: eſſe mercedem,eſſe & hereditatem: & ideo ſub vtraq; ratione illam volo. Docuerunt autem me ſancti Dei,vt velim libenter eſſe mercenarius. Sunt .n. (inquit D.Ambroſius & Gregorius) mercenarii boni,qui propter cęleſtia operantur, & ii vocantur in Euangelio ad recipiendam mercedē. Similiter B. Auguſtinus docet ſeruitutem eſſe liberalem,& filiis dei dignam,vbi quis propter æternę vitæ prę̄mium ſeruit Deo. Hęc me per Euangelium etiam D.Thomas meus docuit,& B.Bonauentura,& alii quos meos autores libenter ſequor, & non iſtos excucullatos.

HÆRET. Ergo tu propter mercedem operaris, & nō purè propter Deum?

CATH. Quaſi verò qui propter mercedem operatur,non queat principaliter operari propter Deum & purè,vt tantò etiā magis propter eum & eius amore operetur, quanto magis immenſam eius bonitatē in beneficio maximo & præmio contemplatur. Nec enim Deum propter donum,ſed donū propter Deum diligit,etſi per ipſa dona, Dei bonitatem cognoſcit. Quòd ſi prohibes propter mercedem operari, reprehende ergo Prophetam, qui ait: Inclinaui cor meum ad faciendas iuſtificationes tuas in æternum propter retributionem. Reprehende & Moſen,de quo ait B.Paulus,quod ſuſcepit improperium Chriſti,contemptis Ægyptiorum diuitiis: quia reſpiciebat (inquit) ad remunera

tionem

tionem. Et ipſum Apoſtolorum Principem, qui aiebat: Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Et ipſum deniq; Magiſtrum gentium, qui omnia arbitratus eſt vt ſtercora, vt Chriſtum lucrifaceret.

HÆRET. Nonne ſiniſter oculus inficit opera?

CATH. Ita demum opera inficit ſiniſter oculus, cùm non ſequitur dexterum. Non enim ſine cauſa duos habemus oculos: quare nec fruſtra ſiniſter eſt. Sed ſi ſolummodo, aut primùm, illo oculo videam; hoc eſt, ſi ſolum aut principaliter ob remunerationem operor; malum eſt. At ſi prius oculo dextro Dei bonitatem contemplor, & in dono agnoſco; non ſolum non inquinatur quod ago amore præmii propter retributionem, ſed perficitur in amore Dei: quia & me & bonum meum propter Deum, & propter voluntatem eius diligo. An fortè Deus non creauit nos cum duobus oculis, & duabus manibus? Quare non eſt eruendus ſiniſter oculus, quia fortaſſis dexter ſit melior: neq; manus amputanda ſiniſtra, quia dextra fortior.

HÆRET. Qui iuſtificati ſemel ſunt, pacem habent ad Deum. Si autem adhuc opera requiruntur, quomodo habere poſſunt pacem, & non ſemper perturbatam timore & incertitudine conſcientiam?

CATH. Tu à ſola fide hanc pacem aſſequeris, & conſcientiam tranquillam: Ego à fide & ſpe & charitate cum operibus bonis eam non aſſequar?

HÆRET. Non potes ſcire vtrum habeas opera bona & grata Deo. Delicta enim quis intelligit? cum ſuperbiæ vitium ſit occultiſſimum. Ideò pacem habere non potes. Ego vero conſcius meæ fidei, certò iam ſcio me apprehendiſſe iuſtitiam Chriſti.

CATH. Etiam cum illo occultiſſimo ſuperbiæ vitio, habes illam Chriſti iuſtitiam? O te miſerum, ſi credis hoc.

HÆRET. Ego de viua fide loquor, quam per illam Chriſti iuſtitiam apprehendo.

CATH. Sed nunquid tu certò ſcis habere te fidem illam viuam? Si non certò ſcis, vnde igitur tibi pax adeò certa & tranquilla? Sin autem certò ſcis; ergo te ſcis habere charitatem & opera, & ideo occulto te non teneri ſuperbiæ vitio. Superbia enim cum fide viua non ſtat; nec fides viua ſine operibus. Itaq; ſi tibi credimus, tu ſcis te habere opera ex fide, ego vero ſcire non poſſum me habere fidem ex operibus: & non audis Fratrem Domini dicentem tibi, Oſtende mihi fidem tuam ſine operibus, & ego oſtẽdam tibi ex operibus fidem meam. Iam ne ſentis infœlis tandem, quomodo tuis telis teipſum iugulas? Adhæc, ais, ſalutem te apprehendere ſola fide: Si per id quod ais; ſola; excludis ſpem & charitatem & opera; cogita quo pacto extricare te poſſis à Beati Iacobi & Pauli ſententiis, quorum alter ait, ſolam fidem ſine operibus eſſe mortuam, alter ꝙ ſi habeas omnem fidem, ita vt mõtes transferas, nihil es abſq; charitate. Qui enim non diligit, manet in morte, ait Dilectus.

HÆRET. Ibi Paulus de alia quadam fide loquitur, quæ facit miracula, non quæ iuſtificat. Similiter & Iacobus de fide hiſtorica, quæ & dæmonum eſt, loquitur. At fides noſtra alterius generis eſt.

CATH. Ridiculum. Nihil igitur mirum vos non poſſe miracula facere. Habetis enim aliam fidem ab illa, quæ facit miracula. O impoſtores. Et qualis eſt fides veſtra? fides viua, inquitis: quaſi fides viua non faciat miracula, ſed ſolum fides mortua. O miſeros, quò voſmetipſos conijcitis diſputantes? Sed quæ, rogo, fides reſpicitur à Deo ad ſalutem, quæ non reſpiciatur propter charitatem? Si igitur hoc eſt verum; ſicut eſt in veritate: quia omne noſtrum quod reſpicitur à Deo, propter charitatem reſpicitur; ergo magis reſpicitur ipſa charitas, iuxta regulam: Si hoc propter illud; ergo illud magis. Vnde & B. Paulus: Nunc autem manent fides, ſpes, & charitas, tria hæc: maior autem horum charitas. Quapropter inter chariſmata hoc maxime æmulandum vterq; Princeps Apoſtolorum admonet. Super omnia (inquit B. Paulus) charitatem habentes, quæ eſt vinculum perfectionis. Et B. Petrus cum exhortaretur ad multa virtutum opera, illud præcipuum poſuit: Ante omnia, inquit, mutuam charitatem habentes: quia charitas operit multitudinem peccatorum. Clamat enim ſapientia: Ego diligentes me diligo. Et, Si quis diligit me, ſermonem meum ſeruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus. Qui non diligit me, ſermonem meum non ſeruat, & manet in morte. Ecce quanta de charitate ad ſalutem noſtram dicuntur. Et iſti noui magiſtri præ charitate extollunt fidem, tanq̃ validiorem ad acquiſitionem ſalutis: quod eſt ita paradoxum, vt mirer niſi amentem ac omnino peruerſum poſſe id quemq̃ recipere.

HÆRET. Interim nos à fide iuſtificati pacẽ habemus ad Deum; vos autem habetis conſcientias plenas conturbationis & formidinis, & ſine pace.

CATH. Pax à charitate prouenit: quæ charitas, ſi perfecta fuerit; etiam ipſa pax perfecta conſequitur. Et hæc omnem penitus timorem excludit. Secura enim eſt ac tuta. Verum talis pax non eſt hic, ſed expectatur in cœlis. Hanc ſi vos habere arbitremini, profecto fallit vos diabolus. Eſt verò hic in huius vitæ curſu rurſum alia pax imperfecta, quę habet imperfectum gaudium ſecum: quoniam non eſt certa ſecuritas ſalutis. Adhuc enim durat militia & bellum, & inſtant aſſiduè pericula; ideo oportet cum timore ac tremore ſalutem (vt ait Apoſtolus) operari. Hæc autem pax, non à fide ſolum, ſed præcipue à charitate eſt, & cũ ipſo charitatis incremento augetur, atq; mittit foras timorem, & firmat ſpem, cum quis probatur per patientiam, quam fouet ac nutrit ipſa charitas. Illa verò eſt ſpes, quæ non confundit, vt eleganter teſtatur Apoſtolus, a ens: Sed gloriamur in tribulationibus, ſcientes q̃ tribulatio patientiam operatur: patientia autem probationẽ; probatio verò ſpem: ſpes autem non confundit: quia charitas Dei diffuſa eſt in cordibus noſ-

ſtris per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Non ergo ſine pace cordis eſt, qui nihil ſibi conſcius eſt, etſi in hoc non ſit iuſtificatus, ideſt, probatus à Deo coram hominibus. Sed poteſt interim habere fiduciam ad Deum. Itaq; explorare debet homo diligenter conſcientiam ſuam, & probare cor ſuum: Si non ſit illi remorſus & cõſcientia peccati; pax eſt. Vnde eleganter Dilectus: Filioli mei, non diligamus verbo neq; lingua, ſed opere & veritate. In hoc cognoſcimus ꝙ ex veritate ſumus, & in conſpectu eius ſuadebimus corda noſtra. Quoniam ſi reprehenderit nos cor noſtrum; maior eſt Deus corde noſtro, & nouit omnia. Chariſſimi, ſi cor noſtrũ non reprehenderit nos; fiduciam habemus ad Deũ: & quicquid petierimus, accipiemus ab eo: quoniam mandata eius cuſtodimus, & ea quæ ſunt placita coram eo, facimus &c. Audis ne illum dicere, ꝙ ex operibus charitatis oritur iuſtis quies & pacatio in corde coram Deo, & fiducia habetur apud eum? Alioqui non eſt pax impiis: Non eſt pax oſſibus meis à facie peccatorum meorum, dixit Propheta. Qui igitur ſe peccatorem deprehendit, agat pœnitẽtiam & purget ſe à peccato, & iterum inueniet eam, licet non perfectam: quia non eſt hic locus coronæ, ſed agonis: non patriæ, ſed viæ. Multa autem pericula imminẽt in via à latronibus, & à variis ſalutis impedimẽtis. Quare oportet non eſſe ſecurum, ſed vigilare, ſicut toties monet nos Dominus, donec ipſe veniat, & confirmet in nobis ac perficiat inchoatam pacem. De qua re ſunt innumeræ ſcripturæ atq; ſanctorum patrum ſententiæ. Et vos dicitis ꝙ certi eſtis veſtræ ſalutis & tranquillæ conſcientiæ propter ſolam fidem. O fidem beatam ſi non ſit falſa.

HÆRET. An non ait ſcriptura, eum qui credat in nomine Filii Dei habere vitam æternam? Quis igitur error eſt, ſi ſcripturę hoc dicenti credimus, & ita certò ſcimus ꝙ habemus vitam æternam? Scimus .n. hoc nos credere, & Scripturam non mentiri.

CATH. Profectò non eſt error credere Scripturæ, ſed error eſt credere ſcripturam dicere quæ non dicit, & illam malè intelligere, & nõ diſtinguere vt oportet. Certè qui credit in nomine Filii, habet vitã æternam, cùm hoc dicat Scriptura: ſed de ſincera fide intelligitur, vt non ſit dolus in corde eius. Et hic tamen vitam habet æternam in ſpe, non in re, vt ait Apoſtolus: Spe ſalui facti ſumus. Spes autem non affert certitudinem ſalutis abſolutam: quia conditionem habet, Si perſeuerauerit homo in finem. Dominus dixit: Si vos in me manſeritis, & verba mea in vobis manſerint, quodcunq; volueritis petetis, & fiet vobis. De perſeuerantia vero quis eſt certus? An ignoras quod (vt ait B. Paulus) ſunt multi filii ſubtractionis? hi, ſcilicet, qui vel in fide, vel in charitate non manent ſua culpa, qui tamen poſſunt manere. Vnde & ait: Tu qui ſtas, vide ne cadas. Et iterum: Cum timore ac tremore ſalutem veſtram operamini. Illud autem mirabile, quòd vos ſcire præſumitis certam electionem ac prædeſtinationem veſtram, etiam ſine operibus, cum nullus ſanctorum doctorum hactenus non docuerit, Deum voluiſſe ſeruare

occultum hunc euentum, vt omnes vigilent & caueant ſibi. Hoc D. Hieronimus, Ambroſius, Auguſtinus, Gregorius, Bernardus, Thomas, deniq; omnes extra exceptionem. Videte igitur qualé ſpiritum nacti eſtis, qui per illum ſanctorum ſpiritui repugnatis. B. Petrus aiebat: Satagite vt per bona opera certam veſtram vocationem & electionem faciatis. Et vos operibus abiectis, certi eſtis de vocatione & electione veſtra. O fallacem ſpiritum.

HAERET. Quomodo poſſunt opera bona iuſtificare, quę ſequuntur iuſtificationem, & ſunt eius fructus & ſigna? Nunquid arbor procedit ex fructibus?

CATH. Semper reditis ad idem. An non audiſti, quòd eſt iuſtificatio, qua quis ex iniuſto efficitur iuſtus? Et hæc non poteſt fieri p opera: hanc enim ſequuntur opera vt fructus, non præcedunt vt cauſſa. Et eſt iuſtificatio, qua ex iam iuſto fit quis magis iuſtus: & per hanc perficitur iuſtitia ad ſalutem & vitam æternam. Et hæc eſt quæ ſequitur priorem illam iuſtificationem & opera iuſtitiæ; quia præſupponit iuſtum & operantem iuſta. Prima enim iuſtificatio eſt tanq̃ quædam natiuitas: Secunda tanq̃ quoddam augumentum & perfectio.

HAERET. Sed vos non reſoluitis quod dicitur, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis viuens.

CATH. Imò vos non reſoluitis. Si enim nullus iuſtificabitur coram illo, quomodo vos dicitis iuſtificari hominem ex fide? Imò quomodo ipſa Scriptura ſancta vocaret homines in Chriſto iuſtificatos?

HÆRET. Ecce nos intelligimus iuſtificatos eos qui non verè ſint effecti iuſti, ſed habiti tanq̃ iuſti à Deo propter fidem, quæ reputatur eis ad iuſtitiam. Iuſtificari enim verbum eſt forenſe.

CATH. An non cernitis detrahere vos bonitati vel omnipotentię Dei? Nunquid æquum eſt habere pro iuſtis, qui non ſunt verè iuſti? Et ſi poteſt vere facere iuſtos nos Deus, nunquid inuidet, vt non faciat?

HAERET. Vos ergo negatis imputari nobis iuſtitiam Chriſti?

CATH. Noua hæc verba ſunt & veſtra, quæ tamen ſi ad verum ſenſum trahantur, non grauaremur recipere. Sic enim imputatur nobis iuſtitia Chriſti, vt per eius meritum ſoluamur à præcedentibus delictis, & induamur noua ac vera iuſtitia dono Dei ſuperno, per quam vere iuſti efficiamur coram Deo. Nec negamus iuſtificari interdum eſſe verbum forenſe in ſcripturis, vt cum præcipitur: Ne iuſtifices impium: & ſignificat, Ne pronuncies iuſtum illum, qui fuerit impius. Sed hoc aduerſum vos eſt. Quod enim prohibet Deus fieri; certe nec ipſe facit. Quomodo ergo dicitis, Deum habere pro iuſto impium, cum hoc velut iniquum vetet, Præterea, vt vos conturbem, Si iuſtificari eſt verbum forenſe, vt competat in eos etiam qui iniuſti ſunt & manent, quorum tamen fides ad iuſtitiam imputatur, cur ergo dicitur, In cõſpectu Dei non iuſtificabitur omnis viuens?

HAERET. At non ſemper eodem modo accipitur hoc verbum.

CATH. Ergo vobis,vt libet, licet accipere verba? Sed cum ſæpenumero in ſcripturis habeatur de multis qui fuerunt iuſti,nũquid & hoc nomen iuſtus, eſt forenſe? Hem quàm in anguſtum veſtræ coguntur copiæ.

HAERET. Dic tu igitur,quomodo locum illum componis cum aliis? Ibi.n.negatur omninò iuſtificatio coram Deo.

CATH. Poteſt,vt opinor,commodè ſic intelligi locus ille. Sunt.n. verba peccatoris,non iuſti,qui deprecatur exaudiri in iuſtitia non ſua, ſed Dei,quod eſt donũ eius,vt ſibi applicetur, & ſic iuſtificetur: & quod non intret Dominus in iudicium ſecum: quia omnis uiuens,ideſt,omnis non commortuus cum Chriſto,non poteſt iuſtificari in conſpectu eius. Ille ergo iuſtificatur,qui iam non viuit, ſcilicet, ſibi & peccato,ſed poteſt dicere, Viuo ego iam non ego,viuit vero in me Chriſtus in vita abſcondita: cum autem apparuerit Chriſtus vita noſtra,tunc & nos apparebimus cum ipſo in gloria.

HÆRET. Non probo hanc expoſitionem tuam.

CATH. Nec tamen habes quo illam meritò confutare poſſis.

HÆRET. Ego nequeo putare hominem poſſe iuſtificari coram Deo in hoc mundo: ſed cum dicunt alibi ſcripturę, iuſtificari hominẽ, debere intelligi (ſicut iam dixi) reputari iuſtum propter iuſtitiam Chriſti,non ſuam ipſius.

CATH. Quis vobis dedit poteſtatem ſic interpretandi, aut potius ſic deſtruendi Scripturas, & voces ſcripturarum, & detrahere bonitati & omnipotentiæ Dei? Tot enim ſcripturæ ſunt, quæ aſſerunt iuſtificatos,gratis iuſtificatos ex fide,idq; coram Deo. Item ablutos, ſanctificatos,iuſtificatos. Et tot ſunt viri qui teſtimonium habent iuſtitię à Deo, & hoc ab eorum operibus,vt de Abel,Enoch,Abraam, & multis aliis iuſtis. Et vos homines veraces vultis non eſſe veram hanc iuſtificationẽ, nec vere iuſtos,quos tamen ſcripturæ iuſtos vocant: tanquã non poſſit Deus mundum facere de immundo cõceptum ſemine, & viuificare mortuos, & verè de iniuſtis facere iuſtos. Si diceretis, quòd non eſt plena ſiue abſoluta ac perfecta iuſtitia,quæ nunc eſt in via, quoniam abſolutè illa perfecta,præmium eſt,quod eſt ſitiendum nobis in hac vita,& in alia expectandum;benè diceretis. At quod non ſit aliquis præter Chriſtum vere iuſtus; hoc nouum & temerarium eſt aſſertum.

HÆRET. Vos nimis magnificatis voſmetipſos: ſed illa opinio verior eſſe debet, quæ magis deprimit hominem, & glorificat Chriſtum & Deum.

CATH. O hypocritæ. Si dixiſſes Illa opinio acceptior eſſe debet in omni dubio,quæ naturam deprimit,& gratiam extollit; recte dixiſſes, & ego facile probaſſem. At dicere, quæ magis deprimit hominẽ, & glorificat Deum; fallaciam habet. Poteſt enim cũ hominis depreſſione venire pariter depreſſio gloriæ Dei,ſi dona Dei in homine vilificentur & obſcuretur. An non (quæſo) magis glorificatur Deus, cum eius

dona extolluntur in nobis? Si hæc tanq̃ à nobis ipſis nos habere iacta-
remus,verè tunc eſſet depreſſio Dei, & elatio noſtri. At dũ confitemur
habere magna dona & pretioſa ex illo per Chriſtum, & per Chriſti meri
ta,& ideo accepta illi ea referimus cum debita gratiarum actione,quod-
cũq; vel in nobis,vel ex nobis eſt,ab eo agnoſcentes bonum; profectò
hoc eſt extollere Deum,non deprimere. An vis vt negemus Dei dona
» inhærentia in nobis,quæ vocat B.Petrus maxima & pretioſa dona,vt ſi-
» mus conſortes diuinæ naturæ,Dii facti,& filii excelſi,genus electum,rega
» le ſacerdotium,gens ſancta,populus acquiſitionis? Hæc certè nos non
» poſſumus inficiari & non confiteri in Spiritu S. cũ ſit magnus theſaurus
& margarita ꝑfulgida id quod habemus in vaſis fictilibus & cóchis iſtis.
His omnibus auditis receſſit hęreticus ſubmurmurans neſcio qd:quo-
niam hæc omnia aliter accipit. Vilificat enim gratiam Dei, charitatis
« donũ nobis inhærens,quod vel negat,vel floccifacit: & omnia ferè quæ
« de hoc inhærente dono dicuntur in ſcripturis,detorquet vt accipiantur
dicta potius de illa Chriſti iuſtitia,qua Chriſtus ipſe fuit iuſtus,quam fi-
de ſua quidam putant ſe apprehendere, per quam fidem habent etiam
certam ſuæ prædeſtinationis notitiam,nulli caſui,nulli pœtentiæ expoſi
tam. Quæ certè ſi vera eſſent, & non præſumpta, nec latenti quodam
ſuperbiæ ſpiritu aſſererẽtur;magnopere illis gratularer,atq; illorũ ſectæ
memet adiungerem. Verum quia hunc ſpiritum in ſanctis viris nũquam
agnouimus,ſed contrarium; & hæc ab hæreſiarchis manifeſtis profecta
ſunt;nõ dubitamus,quicũq; hanc doctrinam ſectantur,eſſe pernitioſè de
ceptos,ac miſerabiliter faſcinatos. Nam per illam (ſi ſecum conſtare ve
lint) tollitur omnis noſtra ſatisfactio pro peccatis: tollitur purgato-
rium: tollitur ſacrificium: tollitur pœnitentiæ ſacramentum: tolluntur
ſuffragia eccleſiæ: pontificum indulgentię pro viuis ac defunctis. Nam
ſi ſola fide apprehenditur iuſtitia CHRISTI, & ſic eius merita eo
pacto noſtra fiunt;profectò ſuperfluunt cætera ſacrificia & ſacramenta.
Sunt & alia multa pernitioſa,quæ ex hac hæreſi conſequuntur. Luthe-
rus vno verbo illa cóclufit aiens,ꝙ in hac ſua de iuſtificatione doctrina,
totius Papatus deſtructio cótinetur. Vocat Papatum, vſum perpetuum
Sacrificii & ſacramẽtorum, clauiũq; poteſtatẽ,& vniuerſ im Eccleſiaſticã
hierarchiam. Illud certũ (quod etſi negent; negare tñ cum bona fron-
te non poſſunt) ꝙ hic articulus eſt penitus deſtructio bonorum operũ,
quæ tamen ſunt finis Euangelii,& totius ſcripturæ. Mittamus igitur il-
los in ſua ſola fide,& cum Chriſti iuſtitia non inhærente,ideſt,illa, quam
ſic apprehendunt,& ſic induunt,vt illis non inhæreat tamen. Ipſi enim
videbunt aliquando quantum ſibi proderit illa iuſtitia,qua non induun
tur, & illa fides,quam hactenus non nouerunt Patres noſtri. Ego verò
interim potius conſulam mihi,& omnibus qui me audire ad ſuam ſalu
tem voluerint,non meum,ſed omnium eccleſiarũ Chriſti ſenſum,& om-
nium veterum ſanctorum Patrum, & admonebo vt cogitemus nos, qui
ſumus fideles,vbi primum iuſtificati ſumus, eſſe nos nouam Dei creatu-